zu dem *Stein* um das Drittel ingehabt werden nunmehr ersetzt mit nachbeschriebenen sechs Vierteln, worunder *Iacob Iuncker* von Einhundert und acht und vierzig Ruthen daselbst am Heldepfadt gelegen, dass drittel gibt, geforchet oben zu *Andreas Scheurer* darzue gibt ietztbesagter *Andreas Scheurer* auss fünnf- und viertzig Ruthen dasselbst gelegen, dass drittel, geforcht unden zu *Iacob Iuncker*, summa, Einhundert drey undt neuntzig Ruthen, jedes Viertel zu dreisig Ruthen gerechnet; alte Maass thut Sechs Virtel dreyzehen Ruthen; Dessen der Rach Acht Ruthen haltendt eingerechnet worden: Item anstatt eines Virtel Weingarts in der Heldte, so *Iohann Brombser* gehabt, wirdt hinfuro von Brombserischen Weingarten im Berg, dass Pariss genannt, ein Viertel abgesondert, und obbenannten Gebrudern von *Metternich* gegeben, dass also in Summa in dem Berg sieben Virtel altmaass befindlich, darahn sechs Virtel drittelbahr seindt: Item als vormals *Elssgen* von *Maintz* drittel geben von einem Morgen ahm *Rheinstein* geforchet *Iohann Brömbser*, so gibt hinfüro *Niclas Richters* Wittib dass drittel aus virzig Ruthen, geforchet nach *Rüdeshaimb*: die *Bromserischen* Erben, und nach *Assmushaussen*, eben dieselbe Erben: Item wird aus den *Brombserischen* Weingarten, alwoh bey dem Keller *Wolf* 10. ein drittel Weingarten eingezogen worden, Ihnen von *Metternich* ietzo zugemessen Achtzig Ruthen, geforchet nacher Waldt *Friderich*

rich Schaeffer, thut Summa Einhundert und zwanzig Ruthen, jedes Viertel zu dreissig Ruthen gerechnet, und macht alſo einen Morgen: Item als vermög alter Lehenbrieff *Peter Bub* das drittel geben, von einem halben Morgen Weingarten am niederigſten Holzweg, defsgleichen *Friderich Francken* Eidam von einem halben Morgen zwiſchen den zwen Holzweegen, defsgleichen auch *Kneuffgen* von einem Virtel ahm Holzweg bey *Daudenhauſſen* heiligen häuſslein, thut zuſammen Einhundert und funſzig Ruthen, welche Pflegen aber alleſambt ohnbekannt ſeindt; So haben ſie von *Metternich*, von denen Brombſeriſchen Erben, vordieſem auf ſechs Viertel ſich belauffenden Abgang und Wüſtungen bekommen zwey Virtel drittelbahre Weingarten altmaaſs thuet ſechzig Ruthen, thuet Summa mit denen zwiſchen undt ahn den holzweegen gelegenen Weingarten, und negſtbemelten ſechzig Ruthen, zweyhundert und zehen Ruthen, welche Ihnen von *Metternich* in nachfolgenden Weingarten erſetzt worden, nämlich: *Michel Scheurer* gibt drittel auſs ſechs undt achtzig Ruthen Weingartens ahm holzweeg, geforchet oben der Küheweeg, Imgleichen *Iohannes Heiven* Wittibe ſoll künfftig geben, daſs drittel aus Neunundt virzig Ruthen ahm holzweeg geforchet, oben *Niclas Muthung*, unden der Pfadt, Imgleichen *Iohannes Weiſs* ſoll kunftig geben das drittel an einem Weingart bey *Daudenhauſſen* heiligen Häuſslein, geforchet oben *Iohan-*

Johannes Heeſs unden *Johannes Itzſtein* gewaltbott hält drey undt dreiſſig Ruthen, imgleichen er *Johannes Itzſtein* ſoll künftig geben daſs drittel aus einem Weingarten bey *Daudenhauſſen* heiligen Häuſslein geforchet oben *Johann Weiſs*, under *Lohrenz Brumken* Dochter, hält zwey und funfzig Ruthen, thuet Summa zwey-hundert und zwanzig Ruthen: Item würdt in altem Lehenbrieff beſchrieben ein halber Morgen Weingarts hinder *Wörner Brombſers* hauſs und weil ſich hinder einem alten *Brembſeriſchen* Hauſs ein halber Morgen Weingarts altmaaſs ſambt einem Baumſtücklein von Acht Ruthen befindet, verbleibt ſolches denen von *Metternich*, und hält acht und ſechzig Ruthen, geforchet nach *Juncker Boſſenburg* zu daſs Cloſter *Marienhauſen*: Item würdt im alten Lehenbrieff eingeführt ein Morgen Ackers im Sandt, weil aber der Name ſolcher Pfleeg auch erloſchen, ſo würdt der Abgang Ihnen von *Metternich* erſetzt mit einem Morgen Ackers uff der Lach, geforchet unden zu dem von *Ochſtein*, oben zu dem von *Ridder* zu *Groenſtein*; Item alſs auch im alten Lehenbrieff begriffen ein Hauſs gegen der Obernburg in der Gaſſen, genannt das Hewhauſs, ſo iſt denen von *Metternich* daruor eingeraumbt der Hauſsplatz in *Rüdesheimb*, geforchet, Junker *Boſſenburg* nacher *Rhein* die alte Burg, unden ab die gemeine Straſſe: Item wirdt in altem Lehenbrieff gemeldt ein Morgen Weingarten in den Dachslöchern, indeme aber ſolche Pfleeg vor dieſsmahl

mahl Oedt und Wüſt, ſo haben viel benannte von *Metternich* ſich des Orths umbzuſehen, und nach Vermögen zu erholen: Item geben und leihen wir Ihme von *Metternich* zwölff Pfundt Geldts uff dem Ungeld zu *Rüdesheimb*: Item haben Wir Ihme zu Mannlehen geliehen, und die Gnadt gethan, daſs er in dem Forſt Brennholz möge thun hawen, in ſein Hauſs ohne Geferde; Were es auch Sache, daſs er einen Sohn oder Dochter berathen wollte, So mögte er zwey oder drey Rehe in vorgemeltem Waldt thun fangen, ohne Laub, undt nicht mehr: Item wäre es auch, das *Ullner* zu *Ullenhauſſen* wohneten, als vor Zeiten gewohnt haben, die ſollen Ihme von jeglichem Radt ein Marck geben, und Ihme auch Krüeg und Döppen genug alle Hochzeit geben, in ſein Hauſs, uff die Maaſs, wie es die *Brombſer* von *Rüdesheimb* jederzeit genutzet und genoſſen haben, Undt dieſſelbe *Ullner* ſollen auch Recht haben, liegendt Windtfällig undt heimbuchen Holz zu hauen in dem vorgeſchriebenen Forſt: Item haben Wir ihme von *Metternich* zu Burklehen geliehen, ſechs Markh geldts, die zu *Ollen* gefallen ſeindt, Item zwoh Marck geldts Burcklehen zu *Ehrenfels*, die zu *Kidderach* uff der Beet gefallen ſeindt. Und der Eingangs befragte *Philipps Emmerich* Freyherr von *Metternich*, hat auch anjetzo vor ſich, ſeine mannliche Eheliche Deſcendenten, wie auch in Vollmacht vorgenanntes ſeines Bruders Freiherrn *Carl Heinrichs*, vermöge übergebe-

benen schriftlichen Gewalts und Vollmacht, erwehntes Erbcammerambt, Gütter, Gerechtsame und Gefälle von Uns also zu Mann und Burklehen empfangen, darüber durch seinen Bevollmächtigten adelichen Anwaldt in treuen gelobt, und leiblich einen Eydt zu Gott und den Heiligen geschworen, Uns, Unsern Nachkommen undt Erzstifft *Maintz* getreu holdt, gehorsamb, undt gewärtig zu seyn, Schaden zu warnen, frommen undt Bestes zu befördern, solche Lehen getreulich zu verdienen, zu empfangen, darüber zu geloben undt zu schwören, so offt dass noth geschieht, in aller massen Er dass jetzo empfangen, darüber gelobt undt geschworen und einen Revers zuruckh geben hat, undt nemblich alles dass zu thun, was mann ihrem rechten Herrn von solcher Mann undt Burklehen wegen zu thun schuldig undt pflichtig seindt, auch Lehens- Recht und Gewonheit ist; Wir haben jedoch in dieser Leihung ausgenohmmen, Unsser, Unsserer Nachkommen undt Erzstiffts, Unsser Mann und eines jeglichen Recht, sonder Gefährde. Dessen zur Urkundt haben Wir Unsser Insiegel ahn diessen Brieff thun henken, der geben ist zu St. *Martinsburg* in Unsserer Stadt *Maintz* den zwanzigsten Monathstag Septembris Anno Domini Millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio; Und wir *Marsilius Gottfried* von *Ingelheimb* Dechant und Capitul gemeinlich des Domstifts zu *Maintz*, bekennen in Kraft desselben Brieff, dass solche Belenung mit Un-

serm

ſerm guten Wiſſen, Willen und Verhängnuſs zugegangen und beſchehen iſt, willigen auch alſo die hiemit und in Krafft dieſes Brieffes, undt haben deſs zu Bekanntnuſs unſeres Dhombkapituls Inſiegel, ſo Wir zu den Sachen gebrauchen bey Hochgedachtes Unſers gnedigen lieben Herrn Inſiegel gehangen, doch Unſs, Unſere gemeine Præſentz, ahn Unſſern undt der Unſſerigen ſonderm Renthen und Gefällen ohnſchädlich, der geben iſt im Iahr und Tag als obſtehet, Weiters haben Wir Ihme *Philipps Emerichen* Graffen von *Metternich*, *Winnenburg* und *Beilſtein* undt deſſen Mannlichen Leibs-Lehens-Erben, uff ſeine ahn Uns gelangte underthänigſte Bitte, undt in Anſehung der in vorgeſchribene in Unſers zweiten Vorfahren ſeel. Lehenbrieff ahngezogner getreüer nutz: und erſprieſslicher Dienſten, ſo deſſen Vater und ganze Famili, Unſern Herrn Vorfahrer und Erzſtifft jedesmahl geleiſtet haben, Er Graff *Philipps Emerich* auch ſambt ſeinen Erben und Nachkommen noch ferner zu thun erbiethig iſt, auch wohl thun können, ſollen undt mögen mit Vorwiſſen und Bewilligung der würdig und Ehrſamen Unſerer lieben andächtigen Dechant und Capituls Unſſers Dombſtifts in Unſſerer Statt *Maintz* ex nova gratia geliehen, zwey Fuder Zinſswein, welche aus Unſſerm Sahl zu *Rüdesheimb* jährlich pflegen geliefert zu werden, ſo Unſs und Unſſerm Erzſtift uff tödtlichen Abgang Weilandt *Henrich Brembſers* Freiherrn von *Rüdesheimb* apert wor-

worden und heimbgefallen ſeindt, wie auch die alſo genannte alte Burck ſambt dem darumb liegenden Graben zu gedachtem *Rüdesheimb*; welche den Klunkhardiſchen Erben umb gewiſſen jährlichen Zinſs erblich verliehen geweſen, Er Graff von *Metternich* aber von bemelten Erben ab - und eingelöſſt hat, leihen auch Ihme dieſelbe hiemit undt in Krafft dieſes Briefes, was Wir Ihm von Gnaden und Rechtswegen daran leihen ſollen und mögen; Undt der mehrbenannte *Phillips Emerich* Graff von *Metternich*, *Winnenburg* und *Beilſtein*, hat auch anjetzo vor ſich und ſeine Mannliche Leibs-Lehens-Erben, abſteigender Linie, vorbenannte ſowohl in Hochgedachtes Unſers Vorfahren Lehenbrieff enthaltene; alſs auch die ex nova gratia ihme conferirte Lehen von Uns gebührendt empfangen, darüber in treuen gelobt, und leiblich einen Aydt zu Gott und den Heiligen geſchworen, Unſs, Unſſern Nachkommen undt Erzſtifft *Maintz*, getreu, hold gehorſamb und gewärtig zu ſeyn, Schaden zu warnen und Beſtes zu befördern, obgeſchriebene Lehen getreulich zu verdienen, zu empfangen, darüber zu geloben, undt zu ſchwören, ſo offt das Noth geſchicht, In allermaſſen er die jetzo empfangen, darüber gelobt geſchworen, und einen Revers zuruck geben hat, und ſonſten alles das zu thun, Was Mann ihrem rechten Herrn von Mann - und Burcklehens wegen zu thun ſchuldig und pflichtig ſeindt, auch Lehens - Recht undt

Ge-

Gewohnheit ist; Wir haben jedoch in dieser Leihung ausgenohmmen, Unsser Unserer Nachkommen und Erzstift Unsser Mann und eines jeglichen Recht, sonder Gefehrde. Dessen zur Urkundt haben Wir Unsser Insiegel an diesen Brief hangen lassen, der geben ist zu St. *Martinsburg* in Unsserer Stadt *Maintz* den zweyten Monaths Tag Augusti Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo nono. Undt Wir *Marsilius Gottfridt* von *Ingelheimb* Dechant und Capitul gemeinlich des Dhombstiffts zu *Maintz*, bekennen in Krafft desselben Brieffs, dass solche neue Belehnung die zwey Fueder Sahlwein undt Burckh zu *Rüdesheimb* sambt dem Graben betreffendt, mit Unsserm guten Wissen, Willen undt Verhängnuss zugangen undt beschehen ist, willigen auch alsso darin hiemit undt in Krafft diesses Brieffs, Undt haben dess zu Bekanntnuss Unssers Dhombcapituls Insiegel, so Wir zu den Sachen gebrauchen, bey hochgedachtes Unssers gnädigen lieben Herrn Insiegel gehangen, doch Unss, Unsserer gemeinen Præsentz ahn Unssern undt der Unsserigen sondern Renthen und Gefällen ohnschadlich der geben ist im Iahr und Tag wie obstehet.

LIV.

LIV.

SIGILLUM *ANSELMI FRANCISCI* ARCHIEP. MOGUNTINI ab an. MDCLXXIX — MDCXCV.

Sigillum Majeſtaticum priori ſub num. LIII. ſimile. a dextris inſignia Moguntina, a ſiniſtris familiæ *Ingelheimiæ* cernuntur, nempe crux teſſelata duplici teſſellarum aurearum & coccinearum tractu. Galea impoſita ornatur jugo expanſo alarum nigrarum cruce teſſellata ſcutaria exornatarum. Hanc exhibet inſcriptionem: *ANSELMUS FRANCISCUS* D. G. S. SED. MOGUNTINAE. ARCHIEP. S. R. J. PER. GERM. ARCHIC. ET. PR. ELECT.

Sigilli alterius ſcutum quadripertitum rotas & cruces teſſellatas ſuprafatas ſiſtit. e lateribus ſupernis prominet cum gladio pedum & galeæ ſcuto tres imponuntur: Media cum mitra Archepiſcopali pulvinari impoſita, anterior tecta pileolo Electorali rubeo, cujus ora reducta vellere pontici muris ſplendet, Rotam Moguntinam ſuſtinet; extrema ornatur jugo expanſo alarum nigrarum, cruce teſſellata ſcutaria exornatarum. Inſcriptio talis eſt: *ANSELMUS FRANCISCUS*. D. G. S. SED. MOGUNT. ARCHIEPISCOP. S. R. J. PER GERM. ARCHICAN. PRINC. ELECT.

CURIA PRAEPOSITURAE AD S. *STEPHANUM* CIVITATI MOG. SUB CONDITIONIBUS CESSA.

Nos *Anſelmus Franciſcus* Dei gratia ſanctæ ſedis Moguntinæ Archiepiſcopus ſacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius, Princeps Elector. Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poterit in futurum notum facimus per præſentes. Cum ſanctiſſimus in Chriſto Pater, ac Dominus Dominus *Innocentius* ſacroſanctæRomanæ & univerſalis Eccleſiæ divina providentia Pontifex eius nominis undecimus, Dominus noſter clementiſſimus nobis per infra ſcriptas litteras ſuas in commiſſis dederit, ut transactionem ſeu concordiam inter *Goſvvinum Hall*, collegiatæ noſtræ S. *Stephani* in civitate noſtra Moguntina Præpoſitum ex una: & vicedominum atque ſenatum eiusdem civitatis noſtræ ex altera partibus, ratione cujusdam fundi ſeu prædii, antiquitus ad Præpoſituram S. *Stephani* pertinentis, nunc vero pro Reipublicæ univerſæ commodo, & imminentium neceſſitatum ſublevamine in Molam equinam ſumptibus ejusdem Vicedomini & ſenatus converſi ſub dato *Moguntiae* ſexta Auguſti Anno Milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo tertio initas, atque præfatis litteris Apoſtolicis verbotenus inſertas, quatenus earum narrata vera, & dictam tranſactionem ſive concordiam in evidentem Eccleſiæ noſtræ S. *Stephani* Præpoſituræ utilitatem ceſſuram comper-

pertum habuerimus, eandem cum pactis & conditionibus in ea appositis Authoritate Apostolica confirmaremus, approbaremus, & illi robur inviolabilis Apostolicæ firmitatis adjiceremus, nec non omnes & singulos juris & facti defectus, siqui desuper quomodolibet intervenerint, eadem Authoritate Apostolica suppleremus, non obstantibus ibidem allegatis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, aliisque in contrarium conventorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis, prout in iisdem litteris apostolicis, latius continetur, quæ de verbo ad verbum sequuntur. INNOCENTIUS P. P. XI. Venerabilis Frater salutem & Apostolicam Benedictionem. Exponi nobis nuper fecit dilectus Filius *Gosvvinus Hall*, Præpositus sæcularis & collegiatæ Ecclesiæ S. *Stephani* istius civitatis Moguntinæ, quod cum dudum penultimorum germaniæ bellorum tempore dicta civitas, a tunc existente asserto Rege sueciæ occupata fuisset, quædam domus ad Præposituram dictæ collegiatæ Ecclesiæ legitime spectans diruta fuit, illiusque solum penes senatum eiusdem civitatis, ad effectum in eo ædificandi molendinum ita permittente bon. mem. *Joanne Philippo*, dum vixit, Archiepiscopo Moguntino sacri Romani Imperii Principe Electore Prædecessore tuo, remansit. Verum dictus *Gosvvinus* Præpositus novissime apud Te institit, ut sibi soli seu fundi hujusmodi restitutio fieret, eaque de causa inter ipsum *Gosvvinum* Præpositum ex una, & dilectos

 etiam

etiam Filios senatum civitatis prætactæ ex altera partibus inita fuit super præmissis, reservato tamen nostro, & hujus sanctæ sedis Apostolicæ beneplacito transactio seu concordia, ut eidem *Gosvvino* Præposito pro suis prætensionibus summa octingentorum florenorum monetæ, illarum partium ad favorem dictæ Præposituræ investienda a prætacto senatu præstetur cum diversis pactis & conditionibus, & alias prout uberius contineri dicitur in publico desuper confecto Instrumento tenoris, qui sequitur, videlicet:

In nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis amen.

Præsenti publico Instrumento pateat cunctis, notumque sit universis, quod Anno a Nativitate Christi Millesimo sexcentesimo octuagesimo quarto. Indictione Romanorum septima, Pontificatus autem sanctissimi in christo Patris ac Domini nostri *Innocentii* divina Providentia Papæ eius nominis undecimi Anno eius Regiminis octavo die Mercurii quæ erat decima quinta mensis Martii, horas inter novem & decem ante meridianas admodum Reverendus ac amplissimus Dominus *Gosvvinus Hall* Ecclesiæ collegiatæ S. *Stephani* hic *Moguntiae* Præpositus coram me infra scripto Notario testibusque ad hoc specialiter requisitis videlicet honestis & discretis viris *Bartolomaeo Meckel* & *Casparo Paur* civibus Moguntinis personaliter constitutus comparuerit, in manibus suis tenens mihique tradens contractum in charta scriptum, inter nobilem Dominum vicedominum & senatum civita-

vitatis *Moguntinae*, & dictum Dominum *Gosvvinum Hall* Præpositum initum, rogansque, ut cum eis supra memoratis testibus nobilem & amplissimum senatum accederem, & ipsius intentionem super dicto contractu perciperem, cujus tenor fuit subsequens.

Posteaquam per Em^mum^ Principem Electorem Moguntinum *Ioannem Philippum* piissimæ memoriæ nobis civitatis *Moguntinae* vicedomino & senatui serio imperatum fuit, ut in loco quodam, foro Boarico vicino, & ad Præposituram S. *Stephani* pertinente, pro Reipublicæ universæ commodis, & imminentium necessitatum sublevamine molam equinam construeremus, proinde id nobis ab Em^mo^ Principe Electore præsenti Clementissimo Domino nostro per rescriptum injunctum fuit, conventione facta cum prætacto S. *Stephani* Præposito, prout justum fuerit, æquivalente alio locum hunc redimere, vel si sic visum fuerit, numerata pecunia comparare, pactum est, ut cum hujus temporis Ecclesiæ collegiatæ S. *Stephani* Præposito Domino *Gosvvino Hall*, quod præmemoratæ Præposituræ locum concernit, in utriusque partis conventionem amicabilem intrare licuerit, & prævia facta utrimque maturiori deliberatione, tum & Em^mi^ Principis Electoris Clementissimi Domini nostri, utpote ordinarii ratihabitione, libera voluntate, nulla intercedente vel coactione, vel ullius violento impulsu, tum & indubitata, sincera & præsenti ratione in eum, qui sequitur, modum, pacisci, ut videlicet

 Primo

Primo ſæpe prætactus Præpoſitus S. *Stephani* pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus ſupra memoratum locum, cum ambitu ſuo univerſo juribus & rationibus annexis & connexis, prout ea hactenus Præpoſitura tenuit, poſſedit, uſa & fruita fuit, in nos communemque Rempublicam deliberata ceſſione, una cum omnibus beneficiis transferat, & remittat, ita tamen, ſiquando futuris temporibus contigerit, ut in hac civitate dictæ Præpoſituræ domus vel qualiscunque locus alius acquiratur, hic iisdem, quibus prior gaviſus fuit, dotari debeat Privilegiis, & immunitatibus: tum vero etiam 2do ad majorem hujus rei ſecuritatem & firmamentum ſuper hunc contractum præſentem, conſenſum & ratihabitionem Pontificiam utpote neceſſariam apud ſedem Papalem *Romæ*, quantum id mature poterit, obtineat, in manuſque noſtras tradat, nos viciſſim non antequam cum traditio prætactorum facta fuerit, jam ſæpius prædicto S. *Stephani* Præpoſito octingentos florenos quemcunque horum 15. Baciis vel 60. crucigeris probatæ monetæ conſtantem in ſui ſuorumque ſucceſſorum utilitatem certa penſione annua elocandos, vel prout conſultum magis viſum fuerit, pro emendo alio prædio vel domo iterum applicandos, proinde & dicto loco conſtitutum ac præſentiæ ſæpe nominatæ Eccleſiæ S. *Stephani* debitum cenſum, ſingulis ſcilicet annis duas libras & tres ſolidos Hallenſ. ab eo tempore quo ejus loci poſſeſſionem civitas habuit, ſicut & in futurum deinceps exſolvamus, atque

que his ita positis Præpositure hunc locum nos prout & contra par est emptione ad nos pertingentem ea ratione, qua Præpositura hactenus, inperturbati possideamus, eo frui & gaudere, uti & in omnem alioquin modum quo Emmo nostro ad urbis totius emolumentum & commodum visum fuerit, cum eo agere, pacisci & negotiari liceat, non secus, ac cum aliis urbis locis & bonis agere in more positum est, idque absque omni hominum litigio, turbatione, inhibitione, & impedimento, pro cujus rei fide & testimonio præsens contractus in duplo transcriptus, & ab Emmo Principe Electore Domino nostro clementissimo tanquam ordinario, post utriusque partis humillimam supplicationem, tum deinceps & meo jam supra memorati Vicedomini nobilitatis insigni (quo & nos de senatu nunc quidem temporis, & in similibus causis utimur) denique meo pro tempore Præpositi *Gosvvini Hall* consueto sigillo stabilitus, confirmatus & subscriptus, ac partium cuique exemplar communicatum est, Actum *Moguntiae* sexta Augusti Anno Millesimo sexcentesimo octuagesimo tertio. Cum itaque officii mei publici ratio efflagitaverit, huic requisitioni morem gerere, hinc absque ulla dilatione a sumptis duobus prænominatis testibus eodem quadrante horæ ad locum consuetum senatorium, ubi nobilis & amplissimus senatus congregari consuevit, properavi, ubi senatum congregatum reperi, & eidem præmissis curialibus istum contractum seu consensum in-

 sinua-

ſinuavi petendo, an ipſi de illo conſtet, hicque ad mentem ipſius compoſitus ſit; qui affirmative reſpondens ait: Em^{mum} Principem Electorem *Ioannem Philippum* P. M. pro bono publico curaſſe exſtrui in loco iſto quaeſtionis ad Praepoſituram S. *Stephani* ſpectante molam equinam, modernum autem Em^{mum} Principem Electorem *Anſelmum Franciſcum* ipſi injunxiſſe Domino Praepoſito moderno aequivalente alio locum hunc redimere, vel numerata pecunia comparare, & quod hinc ſaepe dictus ſenatus cum praetacto Domino Praepoſito pro redimenda vexa in narrata forma convenerit, & iſtum locum octingentis florenis redemerit. Haec omnia, uti acta & peracta ſunt, teſtes meos memoriae ſuae imprimere, & ubi & quandocunque id neceſſarium fuerit, fideliter atteſtari rogavi, ego vero Protocollo meo ingroſſavi, in quorum omnium fidem hoc praeſens Inſtrumentum publicum & authenticum deſuper confeci, manuque propria ſubſcripſi, conſueto Notariatus mei ſigillo communivi, ac Domino requirenti in hac authentica forma extradidi. Acta haec ſunt *Moguntiae*, Anno Indictione, Pontificatu, Menſe, die, hora, loco, ac praeſentibus D. D. Teſtibus legitimis fide dignis ut ſupra. *Nicolaus Du Puis* ſacris Caeſarea & Apoſtolica Authoritatibus & in Archivio Romanae curiae immatriculatus Notarius publicus ad hunc actum ſpecialiter rogatus, & requiſitus. Quare *Goſuvinus* Praepoſitus & ſenatus praedicti nobis humili-

militer ſupplicari fecerunt, ut ſibi in praemiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de Benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos *Goſvvinum* Praepoſitum & Senatum ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & poenis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatae exiſtunt, ad effectum praeſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolvendas & abſolutas fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Conſilii Tridentini interpretum conſilio & attenta fraternitatis tuae relatione ſuper praemiſſis ad eosdem Cardinales transmiſſa, eidem fraternitati tuae per praeſentes committimus & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, & poſtquam compereris tranſactionem ſeu concordiam hujusmodi in evidentem Eccleſiae ſuae Praepoſiturae ſupradictae utilitatem eſſe ceſſuram, eandem tranſactionem ſeu concordiam cum pactis & conditionibus in ea appoſitis authoritate noſtra Apoſtolica, pro tuo arbitrio & prudentia gratis confirmes & approbes, illique inviolabilis Apoſtolicae firmitatis robur adjicias, ac omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſiqui deſuper quomodolibet intervenerint, eadem authoritate ſuppleas, non obſtantibus fel. recordationis *Pauli II.* & aliorum Romanorum

Pontificum Praedeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiae non alienandis aliisque conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, Collegiatae Eccleſiae praetactae etiam juramento confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium praemiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores praeſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris. Ad praemiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, caeteriſque contrariis quibuscunque. Datae *Romae* apud S. *Mariam* Majorem ſub annulo Piſcatoris Die vigeſima ſexta Auguſti, Anno Milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo quarto. Pontificatus noſtri anno octavo, I. G. *Auſius.*

Venerabili Fratri Archi Epiſcopo Moguntino ſacri Romani Imperii Principi Electori.

Nos itaque *Anſelmus Franciſcus* Archi Epiſcopus & Elector praefatus, quoniam diligenti praehabita informatione & maturo conſilio praeinſertam tranſactionem ſeu concordiam, ſic ut praefertur, inter utraſque partes nominatas noſtro, uti ordinarii tunc accedente conſenſu & ratihabitione libere & ſpontanee initam & concluſam, non ſolum veram, ſed & in ipſius Praepoſiturae ſaepe nominatae noſtrae Eccleſiae S. *Stephani* evi-

den-

dentiorem utilitatem cedere, denuo compe-
rimus, eandem uti praemittitur cum omni-
bus suis clausulis, pactis & conditionibus ex
Authoritate Apostolica nobis desuper con-
cessa, & commissa per has praesentes nostras
litteras confirmamus, approbamus, illique
inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adji-
cimus, ac omnes & singulos juris & facti de-
fectus, siqui desuper quomodolibet interve-
nerint, eadem authoritate supplemus, caete-
raque omnia attribuimus & respective dero-
gamus: iisdem, prout in litteris Apostolicis
latius continetur. In quorum omnium evi-
dens testimonium & firmiorem fidem litteras
has per nos subscriptas in duplo fieri nostri-
que sigilli appensione communiri, atque utri-
que parti unum exemplar tradi curavimus.
Datae ex Arce S. *Martini* in civitate nostra
Moguntina. Die decima octava Septembris
Anno Dominicae Incarnationis Millesimo sex-
centesimo octuagesimo quarto.

Anselmus Franciscus A. E. M.

Sigilla duodecim Archi-Episcopalia cum
elucidationibus necessariis subsequitur *Gode-
fridi monachi S. Pantaleonis Coloniae Chroni-
con* Num. I. *Burcardus Gotthelf Struve* illis
Godefridi Annalibus, quos *Freherus Tom. I.
Scriptor. Rer. German.* inseruit, maximum
in Historia secul. XII. & XIII. pondus adjudi-
cat; Quo usque nunc suum extenderet judi-
cium, si coram intueri liceret ipsi Annales
istos per secula X & XI. deductos e scriniis
Vaticani deprompto? *Godefridus* sollicite
anno-

annotavit ſtatum Germaniae Epiſcopatuum, ſucceſſionem Praeſulum, diſſidia & eorum geſta, expeditiones cruciatas, Comitia, curias ſolemnes atque feſtivas in Germania non ſolum ſed & Italia celebratas reliquis adcuratius deſcribit.

Annales iſtos excipiunt a Num. II. — XXXVI. Diplomata Imperatorum, Regum, Ducum, Pontificum, Epiſcoporum &c. &c. in rebus Germanicis magni momenti. Volupe erit Rei Antiquariae Cultoribus, *Adolphum* Imperatorem in Caſtris pro tribunali ſedentem contueri & audire ferentem ſententias &c. Tentatam in curia reconciliationem *Ludovici Bavari* cum Pontifice, *Carolum IV.* Imp. jura Archi-Cancellariatus Trevirenſis per Regnum Arelatenſe confirmantem, *Albertum* Marchionem Brandenburgicum *Pio II.* PP. fideliter aſſiſtentem, Ligam contra Turcas, *Vladislai* Bohemorum Regis Capitulationem, Tractatus Nuptiales *Maximiliani* Ducis Auſtriae cum *Maria* Burgundiae Duciſſa, Confoederationem Epiſcoporum Comitum ac Civitatum Saxoniae inferioris, Acta Coronationis *Caroli V.* variis documentis adaucta & complura ejusmodi Archiviorum cimelia.

In Chronicis Lobienſi num. XXXVII. Monachi S. *Maximini* prope *Treviros* num. LXXXII. a Carinthiae, ſtyriae &c. Num. XCII. & ſiciliae n. XCIV. haud pauca offendes praeclare geſta alibi non curate ſatis conſignata.

Diplo-

Diplomata Eccleſiae Argentinenſis a N. XXXVIII—LXXXII. valorem adaequant eorum, quae in *Novis Subſid. Dipl. Tom. III. Tom. V. Tom. VI. Tom. VII. Tom. IX. & X.* magno numero protulimus.

Concilia Baſilienſia num. LXXXV—XCI. & Herbipolenſe num. XCIII. apud Synodographos reperire non licuit.

Pleniora Chartarum Argumenta exponit ſequens

ELENCHUS

CHARTARUM AC DIPLOMATUM E PRAESTANTISSIMIS ARCHIVIIS COLLECTORUM.

I.

Godefridi monachi S. Pantaleonis Colon: Chronicon ab anno DCCCCLXIIII — MCLXII. pag. 1.

II.

Adolphi Rom: Reg: Sententia super dampnis per Castrenses passis. 1295. 41.

III.

Ejusdem sententia, quod nemo in alterius fundo seu proprietate munitiones construere debet. 1295. 43.

IV.

Ejusdem Sententia, quod Advocati non habent jus aut jurisdictionem in dote alicujus Ecclesiae. 1295. 44.

V.

Ejusdem Sententia: si duo tenent unum Castrum. 1296. 45.

VI.

Causae variae Pontifici Avenione commoranti praesertim reconciliatio cum Ludovico Bavaro R. R. proponuntur. 46

VII.

Carolus IV. Imp. confirmat Archi-Episcopo Trevir: jura Archi-Cancellariatus per Regnum Arelatense. 1356. 49.

VIII.

VIII.

Edictum joannis Episcopi Herbipolensis de Uniformitate celebrandi dies festos per totam Dioecesin. 1404. *pag.* 52.

IX.

Sententia arbitralis super una praebenda Mindensi. 1414. 54.

X.

Caroli Burgundiae Ducis litterae, queis Coloniensi Archiep: opem suam proxime exbibendam pollicetur. 1424. 57.

XI.

Litterae Felicis V. PP. quibus Albertum Marchionem Brandenburgensem hortatur, ut vel ipse vel per suos Oratores Conventum Principum Moguntiae celebrandum frequentare haud postponat. 1441. 59.

XII.

Pius II. PP. ad joannem & Albertum Marchiones Brandenburgenses, de maturando adventu in diaeta Mantuae indicta. 1458. 61

XIII.

Pius II. PP. ad Albertum Marchionem Brandenburgensem, de beneficio Ecclesiastico pro Georgio Hessler petito, deque Marchionis accelerando itinere ad diaetam Mantuanam. 1459. 63.

XIV.

Pius II. PP. Alberto Marchioni Brandenb: gratias agit, quod Oratores suos tanta charitate exceperit, suumque & Apostolicae sedis honorem in diaetis celebratis fuerit tutatus. 1461. 65.

XV.

Litterae Borsij Ducis Mutinae pro liga contra Turcas. 1470. 67.

XVI.

XVI.

Capitulatio à Vladislao Rege Bohemorum subscripta & suo sigillo munita. 1471. pag. 70.

XVII.

Maximilianus Dux Austriae tractatus matrimoniales cum Maria Burgundiae Ducissa per Fridericum Imperatorem initos acceptat. 1477. 76.

XVIII.

Foedus inter Episcopos, Comites ac Civitates Inferioris Saxoniae. 1485. 79.

XIX.

Responsum Oratoribus Regis Bohemiae datum. 1490. 85.

XX.

Protestatio Regis Franciae pro & super introitu Urbis Romanae. 1494. 92.

XXI.

Maximilianus Maria Sfortia de possessione Ducatus Mediolanensis. 1515. 96.

XXII.

Wie Pfaltzgrave Ludwig Kurfurst vom Ertzbischoff zu Meintz zum Wale tag eins Röm: Königs gein Francfurt citirt und erfordert ist. 1519. 98.

XXIII.

Wie die drey Stände des Konigreichs Boheim den Kurfürsten schriben, mit der wale eins Römischen Königs zu nach theil dem Königreich Böheim nicht fürzufaren sondern deren ständen botten zu erwarten. 1519. 101.

XXIV.

Wie mein Gnedigster her der Stat Francfurt umb behulzung aus iren wälden uf eins Römischen Königs waltag iren fürstlichen Gnaden zu geben Schreiben lassen. 1519. 102.

XXV.

XXV.

Wes ein Rath der Stadt Francfurt meinen Gnedigsten hern uf vorgenant Schreiben des .beholzens zum Königlichen waletag halber wider zu Antwort geben haben. 1519. pag. 103.

XXVI.

Wie Pfaltzgrave Ludwig Ertzbischoffen Albrecht zu Meintz um Gelaidt zum Wal-tag ersuchet. 1519. 105.

XXVII.

Wie der Königl: Maj: zu Hungern und Beheim verordnete Commissarien gewalthaber bitten mit der Welung des Röm: Königs bis uff ir Zukunft zu beruhen. 1519. 106.

XXVIII.

Wie die Kurfürsten und bottschafften des Königs von Beheim sich gegen dem Römischen König Carolo als gehorsamen erbieten. 1519. 108.

XXIX.

Proclamatio Novi Regis Romanorum Caroli V. 1519. 117.

XXX.

Wes sich Konig Karl gegen den Kurfürsten, so zu Franckfurt auf dem Wal-tage gewesen, verschriben. 1519. 118.

XXXI.

Wie Pfaltzgrave Ludwig Kurfurst dem Ertzbischoff von Trier uf erfordern des Ertzbischoffs zu Meintz zum Wale-tag eins Römischen Konigs gein Franckfurt Gleid gibt. 1519. 131.

XXXII.

Gerechtigkeit des Reichs Erb-Kuchenmeister-ampt besagend. 1520. *pag.* 132.

XXXIII.

Wie der bischoff zu Meintz als des heiligen Reichs Ertz Cantzler mein Gnedigsten hern als Kurfürste zu erwelung eins Römischen Königs gein Cöllen beschriben und erfordert hat. 1530. 135.

XXXIV.

Wie Kayser Carl der fünfft sich gegen den Kurfürsten verschriben, der Kayserlich Crönung zu Bononien halber, den Kurfursten ires abwesens halb und das andere ire ämpter versehen, inen, iren nachkomenden und erben on nachtheillig sein soll, volgt hernach. 1531. 138.

XXXV.

Serenissimae, Potentissimaeque Principi ac Dominae Elisabethae Angliae &c. Reginae Ericus XIII. Suecorum &c. Rex de ineundo inter eos conjugio. 1563. 140.

XXXVI.

Instrumentum super renuntiatione tituli Regis Polonici Domini Maximiliani Archiducis Austriae cum reservatione & protestatione Magni Magisterij Prussiae &c. 1599. 143.

XXXVII.

Fragmentum Chronici Lobiensis ab an: DCCXLI—DCCCCLXXXII. 151.

XXXVIII.

Carta Cuonradi Murbacensis electi & fratris sui Ulrici Prepositi Lucernensis de plebania Lucernae. 1178. 214.

XXXIX.

XXXIX.

Arnoldus Abbas Murbacensis & Lucernensium monasteriorum praedium seu pratum quoddam in Eilsmato Ecclesiæ Montis Angelorum infeodum[illegible]at. c. 1199. pag. 222.

XL.

Judices Delegati sedis Apostolice in lite inter Rod. C. de Rapperschwil & Comitem de Chiburg & Abbatissam de Zurich super Ecclesia Rumlang. 1212. 224.

XLI.

Fridericus R. R. Ecclesiam Lutrensem in protectionem suscipit. 1218. 229.

XLII.

Honorius III. PP. Abbatiam Schwartzacensem in suis bonis & immunitatibus confirmat. 1218. 230.

XLIII.

Henricus Argentinensis Episcopus Monasterium S. Arbogasti nonam partem fructuum de Curtibus suæ Diœcesis eidem monasterio donatam confirmat. 1218. 232.

XLIV.

Honorius III. PP. Abbatem Schwartzacensem ab iniquis Officialium Episcopi Spirensis extorsionibus liberat. 1218. 234.

XLV.

Fridericus II. R. R. Alberoni Abbati Neoburgensi jus pascui & lignorum in sacra sylva confirmat. 1219. 236.

XLVI.

Fridericus II. R. R. Abbatiae Neoburgensi quaedam bona in Hagenau, Hüttendorff & Eschbach sita concedit. 1219. *pag.* 239.

XLVII.

Capitulum Argentinense aream ibidem sub annuo censu Waltbero aurifici concedit. 1219. 241.

XLVIII.

Honorius III. PP. Clero civitatis & Diœcesis Argentinensis pro CC. marcis argenti remittit vicesimam a Concilio Generali Lateranensi impositam. 1220. 243.

XLIX.

Henricus Argentinensis Episcopus reditus Ecclesiæ parochialis superioris in Maur - Münster concedit Mauri Monasteriensi Abbatiæ. 1220. 245.

L.

Honorius III. PP. confirmat unionem parochialis Ecclesiæ superioris in Maurmünster Abbatiæ Mauri-Monasteriensi factam. 1220. 247.

LI.

Honorius III. PP. Abbatiæ inferioris Monasterii in Hohenburg bona præsertim in Goeksweiler confirmat. 1220. 248.

LII.

Honorius III. PP. bona & possessiones Monasterii inferioris in Hohenburg præsertim Ecclesiam in Ottenroth confirmat. 1220. 249.

LIII.

LIII.

Honorius III. PP. bona & possessiones Monasterii & Hospitalis in Steiga sub sua recipit protectione. 1220. *pag.* 250.

LIV.

Fridericus II. R. R. Alberoni Abbati Neoburgensi ejusdemque Abbatiæ confirmat mansos in Wimenau. 1220. 251.

LV.

Hugo Abbas Murbacensis & Hugo Cantor Basileensis componunt controversiam inter Ecclesiam Murbacensem & nobiles de Hatstatt circa jus patronatus in Herlisheim exortam. 1220. 254.

LVI.

Hedewigis Abbatissa & Capitulum Andelacense in fundo suo monasterium sive Hospitale in Steiga fundant & bonis suis dotant. 1221. 256.

LVII.

Henricus Argentinensis Episcopus firmat concordiam initam inter Bertholdum Præpositum & Canonicos Ecclesiæ Honaugiensis ex una & Wernherum de Hunneburg Marschalcum Argentinensem atque dictæ Ecclesiæ Honaugiensis Advocatum ex altera partibus. 1221. 257.

LVIII.

Jus patronatus in Dalheim adjudicatur Alberto Præposito Haselacensi. 1221. 261.

LIX.

Honorius III. PP. perſonas & bona Marbacenſis monaſterii in protectionem ſuſcipit. 1222. 262.

LX.

Fragmentum Chartæ Henrici Argentinenſis Epiſcopi pro Abbatia inferioris Monaſterii in Hohenburg. 1222. 264.

LXI.

Honorius III. PP. proventus Eccleſiæ parochialis in Nuſsbach confert monaſterio omnium ſanctorum. 1223. 265.

LXII.

Reinhardus Præpoſitus Argentinenſis à Capitulo Turicenſi quamdam in Turico domum co-emit. 1223. 266.

LXIII.

Henricus Rex Rom. Officiatos Abbatiæ Hohenburgenſis ab omni collecta & exactione liberos declarat. 1224. 267.

LXIV.

Honorius III. PP. confirmat concordiam initam inter Eccleſiam Collegiatam Honaugienſem & ejus Advocatum Wernherum de Huneburg. 1224. 269.

LXV.

Honorius III. P. P. Abbatiæ Aprimonaſterienſi confirmat Capellas & poſſeſſiones in Ober-Sultz, Sermersheim, Sigolsheim & Baldenheim. 1224. 270.

LXVI.

LXVI.

Fridericus II. Imp. Abbatiæ Neoburgensi unam navim in Rheno ab omni theloneo aliaque exactione liberam & immunem declarat. 1222. *pag.* 271.

LXVII.

Honorius III. PP. Henrico Abbati bona & possessiones Abbatiæ Apri Monasteriensis confirmat. 1224. 273.

LXVIII.

Arbitrium in Causa inter D. de Rappolstein & plebanum de Sigolsheim atque Ecclesiam Stivagiensem super pensionibus & jure patronatus &c. 1224. 279.

LXIX.

Confirmatio Compositionis super Decimis Novalium in Hagenau. 1224. 281.

LXX.

Honorius III. PP. monasterium de Ettenheim in protectionem suscipit ejusdemque bona confirmat. 1225. 282.

LXXI.

Honorius III. PP. nobilibus Alsatiæ inhibet, ne filias suas & Agnatas in Monasterium Hohenburgense intrudant. 1225. 285.

LXXII.

Hermannus Marchio Badensis & Irmengardis ejus conjux navem per Rhenum Abbatiæ Neoburgensis in suis ditionibus descendentem & redeuntem ab omni theloneo & exactione immunem declarunt. 1225. 286.

LXXIII.

LXXIII.

Honorius III. PP. jubet ut bona Abbatiæ inferioris in Hohenburg illicite distracta vel alienata restituantur. 1225. pag. 288.

LXXIV.

Bertholdus Argentinensis Episcopus confirmat Ottoni Mauri Monasteriensi Abbati donationem parochiæ superioris in Maur-Münster a prædecessore suo Henrico factam. 1225. 289.

LXXV.

Conradus Portuensis & sancte Rufine Episcopus Legatus Apostolicus confirmat monasterio Omnium Sanctorum jus patronatus atque redius Ecclesie in Nussbach & Capellarum eidem annexarum in Oberkirch & Oppenau. 1226. 290.

LXXVI.

Bertholdus Argentinensis Episcopus Castrum Girbaden & ejus attinentias Simoni Comiti Leiningensi & Dagsburgensi in feodum concedit. 1226. 292.

LXXVII.

Statuta promulgata in Capitulo Cathedralis Argentinensis. 1299. 295.

LXXVIII.

Charta joannis Episcopi Argentinensis: de ferenda tonsura Clericali. 1317. 297.

LXXIX.

Ordinatio circa officium Divinum in Cathedrali Argentinensi. 1318. 299.

LXXX.

LXXX.

Johannes Episcopus Argentinensis promulgat Constitutiones Concilii Viennensis. 1318. *pag.* 301.

LXXXI.

Ordinatio circa jurisdictionem Archidiaconorum Ecclesiæ Argentinensis. c. 1318. 310.

LXXXII.

Constitutio johannis Episcopi Argentinensis contra blasphematores & temerarie jurantes. 1325. 312.

LXXXII. *a*

Chronicon Monachi S. Maximini prope Treviros ab anno DCCVIII — DCCCCLXXXVII. 316.

LXXXIII.

Statuta præbendariorum Fratrum & Sororum Hospitalis sanctæ Elisabeth intra monasterium S. Maximini extra muros Trevirenses. 320.

LXXXIV.

Arnoldus Archiep. Trevirensis varia bona ab Henrico Abbate S. Maximini Hospitali ibidem collata confirmat. 1266. 322.

LXXXIV. *a.*

Henricus Archiep. Trevir. omnia bona Hospitalis S. Elisabeth intra septa monasterii S. Maximini existentis confirmat. 1279. 326.

LXXXV.

Statuta Syr Basileensis. MCCXCIX. 327.

LXXXVI.

Processus & Sententia in Causa Clerici Basileensis immaniter occisi MCCXCVI. 345.

f LXXXVII.

LXXXVII.

Mandatum contra Clericos Basileenses arma portantes. 1305. *pag.* 351.

LXXXVIII.

Statuta Johannis de Fleckenstein Episcopi Basileensis Synodalia. 1434. 353.

LXXXIX.

Johannis Episcopi Basileensis statuta Vicarii & Sigilliferi. 374

XC.

Allocutio Jacobi Christophori Episcopi pro inchoanda Synodo Basileensi in Ecclesia Delemonti congregata. 1581. 381.

XCI.

Ejusdem allocutio in fine Synodi. 1581. 384.

I.

I.

GODEFRIDI MONACHI S. *PANTALEONIS* COLON.

CHRONICON. *)
E BIBLIOTHECA VATICANA.

Anno Domini DCCCCLXIIII. *Otto* Imperator natale domini *Romae* agit, ubi & filius ejus *Otto* coronatur.

Eodem anno jacta sunt fundamenta Basilicae Sancti *Panthaleonis*.

Anno Dom. D: CCCCLXV. Sanctae memoriae *Bruno* dux & Archiepiscopus ad compescendas seditiones in occidentis Regni partibus exortas, & pacem procurandam inter primores, *compendium* adiit, ubi gravi infirmitate detentus *Remis*

*) Hoc Chronicon est illo, quod apud *Freberum* extat, longe anterius, ordiens ab anno DCCCC LXIIII & desinens in anno MCLXII, quo editum illud incipit. Conferantur *Freberi* scriptores Rerum Germanicarum Tom. I. pag 333. & ea, quae ad finem hujus Chronici memoravimus.

mis civitatem defertur, ibique dispofitis & ordinatis rebus fui Epifcopii migravit ad dominum. Corpus venerabile *coloniam* reportatum in monafterio beati *Pantbaleonis*, quod ipfe inchoavit, & perficiendum ordinavit, humatum eft. Sedit in Epifcopatu annis XIII. cui fucceffit *Folkmarus*.

Anno Dom. DCCCCLXVI

Anno Dom. DCCCCLXVII. *Otto* Imperator de *jtalia* rediit; & *Wilbelmus* filius *Moguntiae* Archiepifcopus obiit.

Anuo Dom. DCCCCLXVIII

Anno Dom. DCCCCLXIX. *Matbildis* mater Imperatoris obiit.

Archiepifcopatus *Mebtburg* fundatur ab *Ottone* jmperatore.

Jôanni papae fuccedit *Benedictus*.

Folcmarus Colon. Archiepifcopus obiit *Gero* fucceffit.

Anno Dom. DCCCCLXX

Anno Dom. DCCCCLXXI fignum quoddam in coelo ignei coloris apparuit.

Anno Dom. D. CCCCLXXII

Anno Dom. DCCCCLXXIII

Anno Dom. D. CCCCLXXIIII. *Otto* Imperator anno Regni i.ˀ XXXVIII jmperii autem XIII obiit.

Ipfo anno *Udalricus* Epifcopus defunctus eft.

Anno Dom. DCCCCLXXV. *Otto* fecundus regnare coepit.

Anno

Anno Dom. DCCCCLXXVI. Dominus *Gero* Colonienſis Antiſtes Conſtructor gladbacenſis coenobii defungitur, & ſuccedit in Epiſcopatum dominus *Warinus*.

Anno Dom. DCCCCLXXVII

Ann Dom. DCCCCLXXVIII.

Anno Dom. DCCCCLXXIX

Anno Dom DCCCCLXXX dedicatur Eccleſia beati *Panthaleonis* IX Kal. Novembris a venerabili *Warino* Archiepiſcopo.

Anno Dom. DCCCCLXXXI

Anno Dom. DCCCCLXXXII

Anno Dom. DCCCCLXXXIII. *Otto* Imperator apud *Calabream* occiſo a graecis exercitu, de navi Exiliens natando fugit.

Anno Dom. DCCCCLXXXIIII *Otto* Imp. *Romae* moritur VI Idus decembris & ibi ſepelitur.

Anno Dom. DCCCCLXXXV. *Otto* tertius admodum puer cum matre *Theophanu* regnare coepit.

Ipſo Anno obiit Domnus *Warinus* Colonienſis *pontifex*, cui ſuccedit *Evergerus*.

Anno Dom. DCCCCLXXXVI

Anno Dom. DCCCCLXXXVII.

Anno Dom. DCCCCLXXXVIII fames magna.

Anno Dom. DCCCCLXXXIX *Johanni* papae ſuccedit *Gregorius*.

Anno Dom. DCCCCXC.

Anno Dom. DCCCCXCI Domna *Theophanu* Imperatrix mater *Ottonis* obiit, & in Baſilica S.

Panthaleonis Coloniae ſepelitur, quoniam & dum advixit eam ſummo honore coluit, & bonis munificenter cumulavit.

Anno Dom. DCCCCXCII. *Gregorio* papae ſuccedit *ſylveſter* II.

Anno Dom. DCCCCXCIII.

Anno Dom. DCCCCXCIIII. *Adalbertus* Episcopus de *Praga* a Prucis martyrio coronatur.

Anno Dom. DCCCCXCV.

Anno Dom. DCCCCXCVI

Anno Dom. DCCCCXCVII *Cunradus* dux obiit. *johanni* papae ſuccedit *johannes* XVII.

Anno Dom. M. Domnus *Evergerus* Coloniens. Epiſcopus obiit cui ſuccedit *Heribertus*.

Anno Dom. MI. *Otto* jmp. expeditionem jam tertio movens in Italiam Contra rebellantes Romanos, hoſtibus jam ſubactis veneno a muliere dato perit V Kal. Febr. Anno jmperii XVII. Corpus eius *Aquisgrani* ante altare ſed modo in choro; porro inteſtina apud *Auguſtam* condita ſunt.

Ipſo anno ſanctae memoriae *Chriſtianus* primus Abbas Coenobii S. *Panthaleonis* migravit ad dominum cui ſucceſſit Domnus *Reginpertus*.

Anno Dom. MII. *Henricus* Dux Bajoariae defuncto *Ottone* III in Regnum ſublimatur. qui confirmatus *Henricum* Marchionem, & alios ſibi reſiſtentes cum exercitu petit.

Anno Dom. M. III. Rex *Henricus* Italiam, Boemiam cum duce ejus *Bolizlao*, & omni gente ſlavorum ſubjugat.

Anno

Anno Dom. MIIII. fames magna.

Anno Dom. MV.

Anno Dom. MVI.

Anno Dom. MVII. Epifcopium *Bavenberg* a Rege *Henrico* conftituitur.

Anno Dom. MVIII. *Bruno* ex monacho Episcopus, a Prucis varie cruciatus pedibus & manibus abfciffis tandem capite plexus coelos petit.

Anno Dom. MIX.

Anno Dom. MX.

Anno Dom. MXI.

Anno Dom. MXII.

Anno Dom. MXIII. *Henricus Romae* Imperiali benedictione coronatur a *benedicto* papa.

Anno Dom. MXIIII. *Erneft* dux in Venatione occiditur.

Anno Dom. MXV. dom. *Reginbertus* Abbas S. *Panthaleonis* obiit, cui *Kilianus* fuccesfit.

Anno Dom. MXVI.

Anno Dom. MXVII.

Anno Dom. MXVIII.

Anno Dom. MXIX. poft *Kylianum* Abbas efficitur *Helyas*.

Anno Dom. MXX. terrae motus factus eft, ipfo anno *Heribertus*, conftructor Tuitienfis Coenobii obiit, ei fucceffit in fede Colonienfi *pelegrimus*.

Anno Dom. MXXI. *Henricus* Imp. *novam Trojam* in deditionem cepit & mortalitas magna in Exercitu facta eft.

Anno Dom. MXXII. *Henricus* Imp. anno Regni sui XXIII. Imperii XI vitae autem LII defunctus est *Bavenberg* in monasterio S. *Petri*.

Anno Dom. MXXIII. *Conradus* dux Regnum suscepit, cujus primo anno dissensio magna contra ipsum orta est sed divinitus sedatur.

Benedictus Papa obiit, *Johannes* XVIII. succedit.

Anno Dom. MXXIIII. *Henricus Cunradi* Regis filius Rex efficitur, *Conradus* vero *Romam* tendens, Imperiali benedictione coronatur.

Anno Dom. MXXV.

Anno Dom. MXXVI. *Bruno* Augustensis Episcopus frater *Henrici* defuncti Imperatoris, & *Welpho* comes, praedas & incendia inter se conficiunt.

Anno Dom. MXXVII. *Ernest* dux Allemaniae, & *Welpho* comes *Conrado* Imp. ad deditionem veniunt.

Anno Dom. MXXVIII. *Cunradus* Imp. *Stephanum* Pannoniae Regem cum exercitu petit. Interea in Alemania *Ernest* dux, & *Wernerus* comes cum aliis multis occiduntur.

Anno Dom. MXXIX. *Stephanus* Rex per Legatos cum Imperatore pacificatur.

Anno Dom. MXXX.

Anno Dom. MXXXI. *Rodulfus* Rex Burgundiae moriens diadema suum *Conrado* Imperatori misit.

Johanni Papae succedit *Benedictus*, qui & *Theophilactus*, moribus tanta dignitate indignus.

Anno

Anno MXXXII. *Conradus* Imp. hiemе Burgundiam petit. Eclypſis ſolis facta eſt III Kal. Julij hora VI.

Anno Dom. MXXXIII. Imperator Franciam petit contra *vdonem*. Item Burgundiam vaſtat.

Anno Dom. MXXXIIII. *Wirbinam* caſtellum in confinio Saxoniae poſitum pagani, qui Luitici dicuntur obtinent multis Chriſtianis occiſis & captis, quos Imperator cum exercitu petit.

Symeon graecus *Treviris* migravit ad dominum.

Ipſo anno Dominus *piligrinus* Colonienſis Antiſtes deceſſit, & in Baſilica SS. Apoſtolorum, quam ipſe conſtruxerat ſepelitur; cui *Herimannus* cognomento nobilis de proſapia *Henrici* Regis primi Saxonici ſucceſſit.

Anno Dom. MXXXV. *Henrico* Imperatoris filio *knut* Regis danorum filia conjungitur.

Liutici tributarii facti ſunt Imperatori.

Anno Dom. MXXXVI. *Cunradus* Imp. Italiam cum exercitu petit, & mediolanenſem Epiſcopum in Cuſtodiam mittit qui fuga lapſus Imperatori rebellat.

Vdo, Korolingorum princeps a *gordone* Lothariorum duce pugna victus, fugiensque a quodam milite occiditur.

Anno Dom. MXXXVII. *Stephanus* Ungariorum Rex glorioſus obiit.

Anno Dom. MXXXVIII. *Conradus* Imp. obiit II Nonas Iunij & ſepultus eſt *ſpirae* relinquens Imperium filio ſuo *Henrico*.

Eodem anno *Cunigunt* Imperatrix, mater pauperum Christi, & *Herimannus* dux Alemaniae filius *gislae* Imperatricis obierunt.

Anno Dom. MXXXIX. *Henricus* III *Conradi* Imp. filius regnat.

Anno Dom. MXL. *Henricus* Rex ducem Boemiae *Vratislaum* bello petiit, sed multis proceribus & militibus in obstructione sylvae occisis nihil dignum memoria efficere potuit.

Anno Dom. MXLI. Ungarii quendam *ovonem* sibi regem fecerunt, & *petrum* Regem suum expulerunt, qui profugus *Henrici* Regis, cui priori anno rebellaverat, gratiam quaerit, & invenit.

Anno Dom. MXLII. *Henricus* Rex Boemiam ingressus igne & ferro cuncta devastat, & rebellem ducem obsides dare ipsumque post se *Radisbonam* ad deditionem humillimam venire, sibique jurejurando fidelitatem ac servitium jurare coarctat.

Ovo Rex Ungariorum, ob susceptum ab *Henrico* Rege *Petrum* expulsum fines Bavariae depopulatur: Sed magna pars ejus exercitus ab *Alberone* Marchione deletur.

Domnus *Helyas* Abbas S. *Panthaleonis* moritur, & ei successit *Aaron.*

Anno Dom. MXLIII. *Henricus* Rex Pannoniam ingressus duas populosissimas civitates eversit, plures deditione sibi subegit. *Gisla* Imperatrix mater ejus obiit XVI. Kal. Martii, & apud *spiram* sepelitur.

Anno

Anno Dom. MXLIIII. *Henricus* Rex Pannoniam ſibi rebellantem iterum ſubjugat, & inde reverſus ſynodo conſtantienſi interfuit, ubi cunctis in ſe delinquentibus debita dimiſit, pacemque hactenus inauditam tam in ſuevia, quam in aliis Regni ſui provinciis conſtituit. dein *Agnetem*, *Wilhelmi* pictavenſis principis filiam, apud *Moguntiam* jungi faciens, Regalibus ſibi nuptiis apud *Ingelheim* copulavit.

Peſtis pecudum; hyems dura.

Anno Dom. MXLV. *Henricus* Rex tertio Pannoniam ſibi rebellantem ſubjugans, *ovonem* cum uxore, & filiis, & cognatis expulit, & *Petrum* in Regnum reſtituit, ac inde cum magno honore revertitur.

Godefridus dux Lothariorum Regi rebellans ad deditionem coactus in caſtro *Gibichenſtein* cuſtodiae mancipatur, uſque ad condignam ſatisfactionem.

Anno Dom. MXLVI. *Henricus* Rex Italiam ingreſſus pacifice a Romanis ſucipitur, & in ſynodo apud *ſutriam* habita *Gratianum* Papam, qui duobus, id eſt *Theophilacto* & *Benedicto* ſigillatim ejectis, a Romanis ſubſtitutus fuerat canonica authoritate depoſuit, & *ſuidigerum* Bavenbergenſem Epiſcopum *Clementem* II dictum Papam conſtituit porro Rex cum *Agnete* Regina ab ipſo Papa benedictione Imperiali coronatus in Sancto dominici natali die per Apuliam multas provincias ducens Exercitum revertitur.

Anno Dom. MXLVII. *Suidigerus* Papa qui & *Clemens*, obiit & ad Epiſcopium ſuum *Bavenberg*

reportatus tumulatur. ei successit *poppo*, qui *Damasus* vocatus est.

Anno Dom. MXLVIII. *Damasus* Papa obiit, cui *Bruno* Tullensis Episcopus successit, *Leo* IX dictus.

Henricus Henrici Imp. filius nascitur. *Otto* dux suevorum obiit, pro quo *Otto* de *Swinwurte* constituitur.

Anno Dom. MXLIX. *Henricus* Imp. quasdam galliae partes invasit, contra *Godefridum* & *Balduinum* duces quibus in deditionem coactis victor revertitur.

Leo Papa festum S. *Petri* cum *Henrico* Imperatore celebravit *Coloniae*, praesidente domno *Hermanno* Archiepiscopo.

Synodus *Moguntiae* habetur, cui interfuerunt *Leo* Apostolicus, & *Henricus* Imperator.

Anno Dom. ML. Ungarii iterum rebellant, quibus *Gebehardus* Radisponensis Episcopus, qui erat patruus Imperatoris, obviam vice ipsius processit, & eos magna Coede aflixit.

Anno Dom. MLI. Imperator *Pannoniam* iterum adiens, vastata magna parte multisque ibi occisis pacifice licet inacte rediit.

Anno Dom. MLII. Imperator iterum in *Pannoniam* sed inacte redit. proximum natale domini cum *Leone* Apostolico *wormatiae* celebrat.

Aaron Abbas S. *Panthaleonis* obiit hic cantum nocturnale de beato *Gregorio*, a domno Apostolico *Leone* compositum ipso tradente, has in partes primus intulit. Ei *Hemericus* successit.

Anno

Anno Dom. MLIII. Domnus Apostolicus *Leo Romam* rediens Exercitum per Apuliam duxit contra Normannos, possessionum apostolicarum invasores. pugnavit XIIII. Kal. julij & infinita coede peracta fugiens sine victoria regreditur, & in vrbe Beneventana consedit, ubi tunc *Udalricus* genere Noricus Episcopium tenebat.

Anno Dom. MLIIII. *Leo* Papa gloriose vitam finivit XIII. Kal. May. successit ei *Victor*, antea *Gevebardus* dictus, & Eichstettensis Episcopus fuerat.

Cuno dux Noricorum, foederatis sibi Ungariis, graviter rebellat. Item *Godefridus* & *Balduinus*.

Henricus, filius Imperatoris est in Regem inunctus *Aquisgrani* in dedicatione Ecclesiae.

Anno Dom. MLV. Domnus *Herimannus* Coloniensis Archiepiscopus decessit, & successit ei *Anno* secundus.

Albertus Marchio, & *Welpho* dux Carinthiorum obierunt. *Henricus* Imperator Italiam cum Exercitu petit, omnia in pace disponit, revertensque neptem suam *Beatricem* matrem *Mahtilde* secum duxit, indigne tractans eam propter quasdam ejus insolentias, quibus vivere consueverat, mortuo ejus viro *Bonefacio* duce.

Cono dux Noricorum ab Imperatore pro perfidiae suae Culpa, expulsus in Pannonia male exul obiit.

Anno Dom. MLVI. *Gevebardus*, Radasponensis Episcopus Imperatoris *Henrici* Patruus, hostis

ſtis occulte peſſimus deprehenſus & convictus, revocatus, ſedi priſtinae reſtituitur.

Godefridus dux ad deditionem venit Magna coedes a Liuticis in Chriſtianos facta eſt, quorum multi gladio perierunt, inter quos *Wilhelmus* Marchio.

Fames & egeſtas multas Regiones afflixit multaque mala tunc temporis facta ſunt.

Henricus Imp. principum conſenſu *Henricum* filium ſuum Regem conſtituit, & bono fine conſummatus praeſentem vitam clauſit. III. Kalend. Octobris.

Anno Dom. MLVII. *Henricus* quartus admodum puer, Patri ſucceſſit in Regno *Agnes* Imperatrix, mater ejus, quae poſt mariti obitum in Italiam ſe contulerat, & apud monaſterium, quod *Fructerra* dicitur, religioſam vitam duxerat, reverſa in Germaniam ducatum Bajoariae ſuſcepit.

Fridericus quidam, & fratres ejus Tyrannidem exercentes contra Imperium Romanum ab *Agnete* Imperatrice & principibus Regni victi in deditionem venerunt.

Otto de *Swinwurte*, dux ſuevorum obiit, & *Rodolfus* de *Renvelden* ducatum accepit, quod magnum fuit ſeminarium earum rerum, quae Regnum perturbarunt; eundem namque ducatum *Henricus* Imperator *Bertholdo* comiti qui prius Carinthiorum dux effectus eſt, promiſerat, ſed eum poſt mortem Imperatoris eidem *Rodolfo* cauſa filiae ſuae illi coniunctae Imperatrix tradidit. Id quod *Bertholdi* animum vehementer commovit unde

de de utroque, Rege ſcilicet & *Rodolfo* vindictam ſumere volens, omnes contra Regem incitavit, conſpirat etiam *Otto* in ſaxonia ducatu Bajoariae exutus, & conventus utrobique fiunt. multa praeterea in Regno facta ſunt, eoque tandem producta ut *Rodolfus* in damnationem ſui Regnum invaderet, ſed haec res quem effectum habuerit, nec ruſticos latet.

Anno Dom. MLXVI. *Henricus* Abbas S. *Panthaleonis* obiit, cui *Humbertus* ſuccedit.

Anno Dom. MLXVII. *Henricus* Rex *Bertham Ottonis* cujusdam Italici filiam accepit uxorem, nuptias celebrans *triburiae*.

Anno Dom. MCIII. *Henricus* Imp. Natalem domini *Moguntiae* celebrans per *Emechardum* Epiſcopum publice praedicari fecit ſe filio ſuo *Henrico* Regi rerum ſummam dimiſſurum, ſeque ſepulchrum domini viſitaturum. inde maximum tam vulgi quam principum & cleri favorem ſibi accquiſivit, multosque e diverſis Regni partibus ad ejusdem Itineris comitatum ſe praeparare voto ipſo ſuccendit.

Cuno filius *Ottonis* ducis bonis omnibus amabilis & affabilis dum iter ageret, quorundam funeſtorum hominum conſpiratione invaditur, & interimitur ingentem relinquens nobilibus Regni luctum ſimul & ſuſpicionem dum ab infimis in ſummos tantum facinus praeſumitur nam ante triennium *Henricus craſſus* eiusdem *Cunonis* Germanus & natu Senior, dum in Frieſiae Marcham, cui praerat, proficiscitur, a quibusdam Freſonibus inſi-

insidiis vallatur, re cognita fugit ad mare; sed vulneratur a nautis simul & suffocatur.

Anno Dom. MCIIII. *Henricus* Imp. natalem domini *Ratisponae* celebravit, cumque ibidem aliquam diu moraretur, *Otto* quidam murmurare coepit inter Bajoariae principes, eo quod Saxones, vel Franci illic honorabilius & familiarius tractarentur, quam ipsi. *Sigebardus* comes qui hujusmodi suspicionem maxime notabat, coepit Imperatori paulatim invisus haberi; inde post aliquot dies oritur furibunda seditio, per quam ab hora tertia usque ad nonam obsessus in Hospitio, tandem fracti foribus ipse prius facta confessione sumptoque dominici corporis viatico capite truncatus occubuit.

Anno Dom. MCV. *Henricus* Imp. natalem domini *Moguntiae* celebrat, & *Henricus* Rex ejus filius ab eo discessit in Saxoniam ubi rebellionem machinatus est.

Anno Dom. MCVI. *Henricus* Imp. *Moguntiae* exauctoratus est, & filius ejus ab universis Germaniae principibus in Regem jam secundo electus, & ab apostolicis legatis confirmatus regnare coepit.

Anno Dom. MCVII. *Henricus* Rex Festum palmarum *Coloniae* agit, invitatus ab eiusdem sedis Archiepiscopo, inde *Aquisgranum* tendit, pascha apud *Leodium* acturus, ubi tunc pater ejus morabatur, cumque aquis venisset, quosdam suorum principum praemisit observare pontem, qui trans mosam ducit ad oppidum *Wigsa*; ibi

Hen-

Henricus dux Lotharingiae & paganus filius ejus, *Godefridus* comes de *Namut*, excipiunt transeuntes vulnerant & trucidant. Haec in coena domini facta sunt. Imperator de *Leodio Coloniam* regreditur urbem vallo & fossis munit; *Burchardus* Episcopus Monasterii apud *Nussiam* capitur a Coloniensibus, & ad Imperatorem ducitur a quo in vincula conjiciur. Filius Imperatoris *coloniam* obsidione premit Interim Imperator *Leodii*, moritur & in Ecclesia S. *Lamberti* ante altare S. *Mariae* sepelitur.

Comites *Theodericus*, *Godefredus*, & *Adolfus* obierunt. *Henricus* dux Lotharingiae Regi *Henrico* subditur, & ducatu privatus *udoni Hildenesheim* Episcopo commendatur, & comes *Godefridus* de *Brabantia* dux *Lotharingiae* constituitur.

Colonienses deditionem faciunt mediante duce *Bertolfo* Carinthiae dux magnus Saxonum moritur, & ducatus ejus comiti *Lothario* de *Supelingeburg*, simul cum Marchia commendatur.

Henricus dux de custodia elabitur.

Anno Dom. MCVIII. Controversia inter Regem *Henricum*, & Apostolicum *Paschalem* de investitura.

Rex collecto exercitu contra *Robertum* comitem *Flandriae* de *Iherosolymis* reversum tendit.

Anno Dom. MCIX. Eclipsis solis facta est. II. Kal. Iunij.

Anno Dom. MCX. Rex apud *Leodium* sponsam suscepit *Henrici* Regis Anglorum filiam, inde *Trajectum* venit, ubi ex ejus jussu quidam capite

pite truncatur, qui in necem *Cunradi* Episcopi consensisse arguebatur, ibi Rex sponsam suam donavit, quam postea *Fridericus* coloniensis Archiepiscopus *Moguntiae* in Reginam Consecravit.

Anno Dom. MCXI. Rex *Romam* veniens ab Apostolico honorifice suscipitur ubi cum super negotiis Ecclesiasticis tractant, Factione quorundam repentinus tumultus a Romanis excitatur. Rex posita Victoria papam secum abduxit, sed post modum invicem conciliati redeunt, & pacatis Romanis Rex ab Apostolico in Imperatorem consecratur.

Anno Dom. MCXII. dissensio ducis Lotharingiae, & Marchionis *Rudolfi* cum Imperatore.

Coniuratio *coloniae* facta est pro Libertate.

Werra inter Imperatorem & principes Saxoniae, in qua *Wibertus* & *Sigefridus* palatinus comes ejus perdunt gratiam. *Wibertus* quidem capitur & Regi offertur, & *Sigefridus* vulneratur, & ex eo moritur.

Anno Dom. MCXIII. Imperator Expeditionem super Fresones fecit, ubi colonienses, qui inter alios huic expeditioni intererant, fraude ipsius Imperatoris a Frisonibus circumventi interventu ducis saxonum evaserunt.

Anno Dom. MCXIIII. Imperator memor injuriarum suarum in Colonienses, illam totius galliae & germaniae florentissimam civitatem, toto etiam orbe famosissimam extenuare conatus adunato grandi exercitu Alemannorum, Bawariorum & Saxonum, & cum duce *Lothario* Diutiense ca

strum

ſtrum obſidere & evertere ſtatuit, ut collocato illic praeſidio, commeatus navium a Colonienſibus arceretur, cujus rei nuntium cum colonienſes accepiſſent, coacto in unum delectae juventutis copioſo apparatu cum valida ſagittariorum manu Renum tranſeunt, & jmperatoris impetum viriliter exſpectant. erat autem in exercitu eius barbara legio, quae loricis corneis ferro impenetrabilibus utebatur; Imperator poſtquam Colonienſium audaciam conſideravit, ſatius arbitratus eſt campo cedere, quam male pugnare, illa nocte intra plauſtrorum munimenta ſe continuit, & ſequenti die verſus *veronam* & *juliacum* praeſidia Colonienſium cum exercitu properat, flammis & rapinis omnia vaſtans. jnde revertentem *Fridericus* Epiſcopus; *Godefridus* dux Lotharingiae; *Henricus* de *Lintburg*; dux quondam Lotharingiae *Henricus*; *Henricus* comes de *Zudven*; *Theodericus* comes de *Are*; excipiunt viriliter, ſed infeliciter; nam capti ſunt ibi ex eorum melioribus comes *Gerardus* de *juliaco*, *Lambertus* de *Mulenbarc*, & *Everhardus* de *Gandernol*, vir militaris occiſus eſt; ſuperveniente autem *Friderico*, comite Weſtphaliae, & fratre ejus *Henrico*, cum valida acie, Imperator fuga elabitur. verum illis inſequentibus eum in campis Anternacenſium aggrediuntur. pugna diu anceps fuit. Tandem Colonienſium lectiſſima juventus efferata in hoſtem aut vincere aut mori deliberat, & graviſſima coede debachata adverſarios fugere coarctat. Ibi *Theodoricus* comes miles fortiſſimus, & magna

 pars

pars victoriae, instans more Leonis, strages immensas operatur. plures ingenui & militares trucidantur & capiuntur, inter quos & *Bertolfus* dux Carinthiae imperatori fidissimus captus, ipsius comitis *Theodorici* custodiae mancipatur. nullus autem principalium virorum ex parte Coloniensium aut captus refertur aut occisus, praeter *Henricum* comitem de *Kesle*, virum egregium qui per suorum fraudem pedibus suffocatur equorum, & *Coloniae* juxta Ecclesiam majorem S. *Petri* honorifice tumulatur.

Anno Dom. MCXV. Imperator ad iniuriam ducis saxonum *Bruneswick* occupat, & *Halverstat* devastat. Contra quem idem dux cum saxonibus, adjuncto sibi *Friderico* Archiepiscopo cum Coloniensibus, *Friderico* comite Westfaliae, & *Henrico* fratre ejus, *Henrico Lintburc*, *Herimanno* de *Calvelage*, properat in loco, qui dicitur *Welpesbold* ubi commisso certamine Imperator terga vertit, & plenam victoriam principes assecuntur.

Sub eodem tempore Imperator *Moguntiam* venit, ubi episcopum Loci jam triennio captivum civibus reddit, vi ad hoc coactus.

Anno Dom. MCXVI. in nativitate domini multi principes *coloniae* conveniunt *Theodorici* cardinalis suasu & consilio de Ecclesiae rebus tractaturi. Sed idem Cardinalis in itinere moritur, & Corpus ejus humandum *Coloniam* deportatur.

Anno

Anno Dom. MCXVII. in Octava S. *Johannis* Terrae motus maximus, plurima aedificia late per orbem subruit.

Anno Dom. MCXVIII. Domnus *Paschalis* papa obiit, cui successor eligitur *Johannes*, ipsius antea Cancellarius, qui & *Gelasius* II dictus est.

Cuno praenestinus Episcopus, a domno *Paschali* missus, & eo mortuo, a successore suo *Gelasio* ad iniunctum sibi officium, per episcopum vivariensem, virum literis apprime eruditum, corroboratus, *Coloniam* venit, ibique ad eum convenientibus Saxoniae episcopis, synodum celebravit.

Anno Dom. MCXIX. Imperator a Coloniensibus honorifice excipitur absente episcopo. unde Episcopus divinum officium ipsis interdicit.

Anno Dom. MCXX. Terrae motus factus est.

Principes cum Imperatore in concordiam redeunt.

Fridericus Palatinus comes obiit.

Anno Dom. MCXXI. *Herimannus* bone memoriae Abbas S. *Panthaleonis* obiit, post quem succedit *Rudolfus*.

Anno Dom. MCXXII. *Fridericus* Archiepiscopus, cum Coloniensibus *Carpene* Castellum Imperatoris obsidens, cepit & diruit.

Circa festum S. *Mariae* conventus principum fit *Spirae*, ubi ostiensis Episcopus, Romanae Ecclesiae Legatus consulente *Kalisto* Imperatorem banno absolvit. Imperator contra Investituras Ecclesiarum certis modis S. *Petro* dimisit.

Anno Dom. MCXXIII.

Anno Dom. MCXXIIII. magna fames, asperrima hyems, & Rhenus Congelatur.

Kalistus papa obiit, cui *Honorius* succedit.

Fridericus comes de *Arnestburg* obiit.

Henricus Imp. *Trajecti* infra Ebdomadam Pentecostes obiit, corpus eius *spirae* humandum deportatur.

Anno Dom. MCXXV. *Lotharius*, dux Saxonum bellicosissimus ab omnibus in Regem eligitur, & *Coloniae* ab Archiepiscopo *Friderico* consecratur, una cum conjuge sua *Richenza*.

Anno Dom. MCXXVI. *Fridericus* dux Alsatiae, dum nova quaedam contra Regem molitur, judicio principum dampnatur.

Henricus dux *Bajoariae* obiit.

Treviris apud S. *Eucharium* reperitur Corpus S. *Mathiae* apostoli subtus Altare S. *Joannis* Baptistae.

Anno Dom. MCXXVII. Rex natalem domini *Coloniae* celebrat absente Episcopo. Epiphaniam vero *Aquisgrani* ibi temerarius tumultus coram Rege exoritur, sed moderatione eius adnullatur.

Karolus comes *Flandriae*, & *Wilhelmus* dux *Burgundiae*, a suis crudeliter trucidantur. *Karolus* quidem in oratione prostratus in Ecclesia: *Wilhelmus* vero nocte in Cubiculo suo.

Quidam nefarius homo *Gisilbertus*, qui dominum suum Trajectensem Episcopum, & Ecclesias dei, sub eo positas annis superioribus saepe

pe infeſtaverat, comprehenſus, juſſu Regis capitalem ſententiam ſubiit.

Anno Dom. MCXXVIII. Rex natalem domini *Wirciburgi* celebravit, ubi ſiniſtro rumore percellitur. Scilicet:

Conradum fratrem *Friderici* ducis *Alſatiae* Regium nomen uſurpaſſe. Hac de cauſa, Magadaburgenſis & Moguntinus Epiſcopi, & alii plures eundem *Conradum* excommunicaverunt, & poſtea eadem excommunicatio a domno Apoſtolico confirmatur. Venit & contra eum Rex *Spiram*, in qua ille ſuum praeſidium expulſo inde Epiſcopo collocaverat, & obſeſſa urbe, acceptis obſidibus, inde diſceſſit.

Anno Dom. MCXXIX. Rex purificationem S. *Mariae* celebrat *Coloniae*, abſente Epiſcopo, quia tunc, ſicut & duobus praecedentibus annis inimicitias gerebat contra Regem. In partibus occidentis viris comam malo uſu nutrientibus ſubito capilli circa capita multorum ardere viſi ſunt, ipſo tempore Colonienſis Archiepiſcopus Regi conciliatur.

Anno Dom. MCXXX. Rex *Lotharius Spiram* obſidiens civibus fame victis urbem capit.

Honorius papa obiit, cui *jnnocentius* II. ſuccedit. Sed eodem tempore *Petrus* filius *Petri Leonis* eligitur, & *Anacletus* II. vocatur. hoc ſchismate *Innocentius* expulſus ad Regem ſe contulit, & ipſo annuente, & optimatum Alamaniae . . . roboratus, vices Apoſtolicas in his partibus egit.

Anno Dom. MCXXXI dominica ante medium quadragesimae XI Kalend. Aprilis celeberrimus principum conventus fit *Leodii*, domno Apostolico *Innocentio* & Rege *Lothario* praesentibus.

Urbs tota Trajectensis, cum Ecclesiis incendio conflagravit.

Dom. *Fridericus* Coloniensis Archiep. obiit Rex *Lotharius* Expeditionem super Danos & Slavos movit.

Anno Dom. MCXXXII Rex natalem domini *Coloniae* celebravit. in cujus praesentia gravissimae partes fuerunt utriusque ordinis Cleri scilicet & populi in Electione domini *Godefridi* xantensis praepositi, praesidentibus tribus Cardinalibus S. Rom. Ecclesiae Legatis *Wilhelmo* scilicet praenestino, *Widone*, & *johanne* cremensi Episcopo. tandem judicio Regis & principum & ipsorum Cardinalium ad unitatem perducta est Ecclesia, & *Godefrido* desistente *Bruno* praepositus S. *Gereonis* Coloniensi Cathedrae inthronisatur. dum haec tractantur, *Egbertus* Episcopus Monasteriensis decanus major Ecclesiae S *Petri Coloniae*, qui huic negotio intererat, infirmatus moritur, reportaturque ad sedem suam tumulandus cui *Wernerus* successit.

Vehementissima vis ventorum oritur, & innumera aedificia subruit.

Anno Dom. MCXXXIII. Rex *Romam* proficiscitur ad restituendum *Innocentium* sedi Apostolicae. transiens ergo per Italiam pleraque loca munita, sibi resistentia capit, tandemque II Kal. May

May *Romam* cum fummo favore ingreditur, & cum jam defunctus effet *Anacletus*, *Innocentium* reftituit, a quo in Ecclefia Lateranenfi II. Non. junii in Imperatorem confecratus per bella & victorias reverfus eft, ducens fecum quendam principem Italiae captivum.

Magna inaequalitas aeris, & aquarum inundatio plurima.

Eclypfis folis facta eft IIII Non. Augufti hora diei VI. in tantum ut ftellae in Coelo apparerent.

Confobrinus Imperatoris occiditur *Trajecti* a *Godefrido*, & fratre ejus *Herimanno* de *Kuch*.

Anno Dom. MCXXXIIII. Imperator natalem domini *Coloniae* celebrat, ibi temerarius tumultus urbicorum coram Imperatore exoritur, & eo nondum fedato difceffit.

Rex Daclorum veniens fe in poteftatem Imperatoris tradit, obfides dat, juramentum facit, fe fuccefforesque fuos non nifi permiffu Imperatoris, fuccefforumque fuorum Regnum adepturus. poft haec cum pace redire permiffus, in fancto die pentecoftes ab aemulis fuis eft occifus.

Anno Dom. MCXXXV. Imperator natale domini *Aquisgrani* celebrat, ubi Colonienfes gratiam fuam obtinent, ibi Imperator & Colonienfes ab Archiepifcopo diffentiunt, fed hic poftmodum & *Fridericus* dux Alfatiae, interventu principum Imperatori rurfus Conciliantur.

In fefto pentecoftes, omnes principes Regni coram Imperatore firmiffimam pacem ad X annos

juraverunt, & deinceps caetera multitudo idem facere compellitur.

Anno Dom. MCXXXVI. Imperator Natale domini *ſpirae* celebrat. ibi mortuus eſt *Henricus* Marchio, filius *Wiberti* comitis.

Hoc anno obſides *Godefridi* de *Kuch* numero XII ſeſe in poteſtatem Imperatoris tradiderunt. Verum ipſe *Godefridus* cum fratre ſuo *Herimanno* proſcribitur.

Circa feſtum Aſſumptionis B. *Mariae* Expeditio Imperatoris in Italiam.

Inter ſuſatienſes, & Arnesbergenſes depraedationes, incendia, homicidia fiunt abſente Imperatore.

Anno Dom. MCXXXVII. Imperator natalem domini & paſcha in Italia celebrat. pentecoſten vero apud *Bari* cum generali conventu Italicorum principum. Ibi domnus *Bruno* II Colonienſis Archiepiſcopus obiit, & in Eccleſia beati *Nicolai* ibidem honorifice tumulatur; cui domnus *Hugo* decanus S. *Petri* ſuccedit, & ab apoſtolico *innocentio* ordinatus eodem anno moritur.

Princeps Apuliae, *Ruggerus* nomine ob cujus inſolentiam Imperator Italiam maxime intraverat, ſtatuit caſtrum ſatis munitum in ipſo latere civitatis *Bari*, in quo praedones collocaverat, qui terra marique inauditis calamitatibus regiones opprimebant, ſimili modo per totam pene Italiam fecerat. Igitur Pentecoſte celebrato Imperator caſtrum cum Exercitu circum vallabat, quod magno labore devincens, igni tradidit, ſoloque aequat.

aequat. praedones similiter comprehensi sunt circa Turrim exustam, numero quingenti & amplius quo terrore omnis civitas & omnis munitio Regiae se potestati tradidit. Hinc Imperator in Calabriam ambulavit, ubi legatos graecorum obviam habuit. Sic demum rebus in Italia compositis, cum jam repatriare disponit, in ipso itinere tam senio quam infirmitate gravatus II Non. Decembris obiit. Vir Egregius & digne pater Patriae appellandus, quo decedente pax & tranquillitas & rerum copia, quae eo Imperante vigebant, cessaverunt hactenus. Corpus ejus delatum in Patriam sepelitur regio more in haereditate paterna, Loco dicto *Luitheron.*

Ipso tempore *Moguntia* una cum principali templo igne combusta est.

Anno Dom. MCXXXVIII. *Conradus* dux Alemanniae frater *Friderici* ducis Alsatiae eligitur in Regem, qui regalia quae penes *Henricum* ducem Saxoniae & Bawariae generum *Lotharii* Imperatoris erant, callide accquisivit, & ipsum ducatu Saxoniae privare voluit, dato eodem *Adalberto* Marchioni, hinc caedes rapinae, incendia per totam saxoniam facta sunt, unde *Henricus* dux fratri *Welfoni* ducatum Bawariae cum provincia permittens, valida manu saxoniam tendit, & ipsum *Adalbertum* Marchionem cum rege fugat.

Coloniae in Archiepiscopum levatur *Arnoldus* praepositus prius S. *Andreae* paulo post gravissima inter ipsum & cives seditio oritur, quae vix tandem sedatur.

Anno Dom. MCXXXIX. Circa festum S. *jacobi* Expeditio Regis in saxoniam contra *Henricum* ducem sed illo viriliter cum magno exercitu juxta *crucemberg* occurrente Rex infecto negotio rediit nec multo post idem dux veneno, ut fertur, vitam finivit. *Albertus* Marchio morte ducis exhilaratus, cum forte apud *Bremam* gloriabundus adiret, ut a turbis inibi confluentibus quasi dux Patriae susciperetur, ab amicis Imperatricis circum ventus fuga vix cum paucis evasit.

Anno Dom. MCXL. Rex urbem *Welphonis* ducis Bavariae *Weinesberg* dictam obsedit & in deditionem accepit, matronis licentia concessa, ut quae humeris valerent, exportarent, quae omissa supellectile descendebant, viros suos humeris deportantes.

Anno Dom. MCXLI. Rex pentecosten *Wirzeburg* celebrat; ibi celebris conventus principum fit pro pace & concordia in regno componenda: Sed infecto negotio discessum est.

Domina Imperatrix *Richetzza* obiit.

Anno Dom. MCXLII. Rex pentecosten *Franckenvurt* celebrat coadunata principum curia, & ibi quorundam familiarium suorum principum fretus auxilio, dominam *Gertrudim* famosissimam saxoniae matronam filiam videlicet *Lotharii* Imperatoris, & *Henrici* ducis viduam, uni e fratribus suis conjunxit, sciens hac conjunctione multos confoederari. quod & factum est. nam principes hactenus discordantes hac occasione Regi concilian-

liantur. celebrantur igitur nuptiae per dies XIIII. quas ipſe Rex per ſe miniſtravit.

Wecel Monaſterienſis Canonicus ab Eccleſia Osnabrugenſi epiſcopus eligitur ſed Archiepiſcopo Colonienſi, aliisque quibusdam reſiſtentibus, ſuſpenſione divini officii Eccleſia a Legitima electione arcetur; unde *Philippum* Daventrienſem praepoſitum in eius locum ſuſcipiunt.

Anno Dom. MCXLIII. hoc anno hyems validiſſima.

Domina *Gertrudis* praedicta ducatrix conjux *Henrici* fratris Regis ob difficultatem partus diem clauſit extremum, & apud patrem & matrem & priorem conjugem ſuum *Henricum* cum moerore totius ſaxoniae ſepelitur in *Lotheron*.

Rex in quadrageſima Saxoniam iterum intrare tentans uſque *Goslariam* & *Hildensheim* proceſſit, cum ſubito *Welpho* dux Bajoariae conſociato ſibi conſobrino ſuo *Friderico* filio *Frederici* ducis, ſueviam ingreſſus quaeque Regis erant depopulatus eſt. quae res regem remeare coegit.

Innocentius papa obiit, cui *Coeleſtinus* II ſucceſſit.

Anno Dom. MCXLIIII. *Coeleſtinus* papa obiit, cui *Lucius* II ſucceſſit.

Anno Dom. MCXLV. *Lucius* papa obiit, ſuccedit *Evgenius* III

Natus eſt Regi filius *Henricus*, quem alii *Beringerum* ex nomine avi eius vocant.

Anno M.CXLVI. Cometa apparuit ipſo anno gravis diſſenſio oritur inter *Narpertum* Trajectenſem

ſem Epiſcopum, & *Ottonem* principem, filium *Ottonis* palatini comitis, patruelem *Hermanni Salmonis*, quem Colonienſes in praelio Tuicienſi ceperant, in tantum, ut pugna conſerta ipſe *Otto* ab epiſcopo caperetur, & cuſtodiae traderetur, ſed poſtea reconciliatus, & liber dimiſſus poſtea pugnavit cum *Herimanno* Palatino comite, a quo iterum Capitur.

Anno MCXLVII. Fames maxima facta eſt, ita ut modius ſiliginis XII ſolidis Coloniens. monetae venderetur in menſe julio: famem etiam peſtilentia & mortalitas ſubſecuta eſt intolerabilis.

Wolbodo abbas efficitur, cum *Gerardus* Abbas ſenio gravatus curam paſtoralem adminiſtrare non ſufficeret, & Baculum in praeſentia domini Epiſcopi reddidiſſet.

Anno Dom. MCXLVIII. Expeditio Ieroſolymitana ſecundo facta eſt ex omni Regno Occidentis per *Conradum* Regem, cum quo & *Ludowicus* Rex Francorum & plures alii principum proficiſcuntur cum innumerabili Exercitu.

Eodem tempore *Henricus* dux ſaxonum & *Wernerus* Monaſterienſis Epiſcopus expeditionem fecerunt ſuper ſlavos.

Otto princeps in Cuſtodia *Hermanni* comitis moritur, vel ut quidam dicunt, ab ipſo comite ſtrangulatus. Dominus *Gerardus* Abbas obiit.

Anno MCXLIX. Domnus Apoſtolicus *Evgenius Remis* Concilium habuit, congregatis ibi ex omni gallia & Germania Epiſcopis, ubi Colonienſis

ſis Archiepiſcopus ab officio ſuſpenditur quia ſe huic concilio ſubtraxit.

Eodem anno *Conradus* Rex de *jberoſolyma* rediit, filium etiam ſuum ungi fecit in Regem *Aquisgrani*, qui non multo poſt obiit. jerosolymitanae expeditionis auctores maxime fuerant *Bernardus*. Abbas claravallenſis, & quidam Monachus *Radulfus*. ſed heu proh dolor! quo plures & fortiores erant in acie, eo minora virtutis reliquere veſtigia periit maxima ex parte innumerabilis conventus fame, peſte, paganorum gladio, plurimi a turcis & ſaracenis capti foeda ſervitute in vinculis conſenuerunt. ſolum *Damaſcum* nobiliſſimam ſyriae urbem bello aggreſſi ſunt, ubi *Adolfus* fortiſſimus adoleſcens filius *Adolfi* comitis de *Berge*, infatigabiliter caedi ſaracenorum inſtans occiſus eſt; & cum jam civitas in manus Regis *Cunradi*, tradenda eſſet, perfidia Iherosolymitanorum & quorundam principum avaritia ſeducti ab ea, ſine Victoria manus continuerunt. Ergo, quia omnia quae in hac expeditione geſta ſunt, plena ſunt luctus & miſeriae, melius eſt mihi ſilere, & romanorum parcere pudore, nec tradere cognitioni Francorum.

Igitur *Cunradus* Rex apud *Babunberc* infirmitate detentus & diem mortis ſibi adeſſe ſentiens, duci *Friderico* filio fratris ſui regalia tradidit, filium ſuum *Fridericum* adhuc parvulum commendavit, & ut pro Regno ſibi adquirendo principibus loqueretur ſuaſit, ſicque Rex vita deceſſit XI Kalend. Martii Anno Regni ſui XIIII. ſepultus-

tusque est in praedicta Civitate post cujus mortem celebris conventus principum & Episcoporum apud *Franckinvurt* habitus, ibi summo favore cunctorum praedictus *Fridericus*, dux sueviae in Regem eligitur, sed licet favorem multorum haberet, *Henricus* Episcopus Maguntinensis unanimitatem quorundam circa ipsum invectivis quibusdam debilitare conatus est, asserens. quod fastu quodam ductus inter consecretales suos concionatus fuerit quia Regnum adepturus esset, etiam nolentibus omnibus, cujus objectionis malum Coloniensis Archiepiscopus mitigavit, regem ab intentatis excusans, & moguntinensis molimen annullans.

Anno Dom. MCL. Hyems validissima & diuturna. Urbs *Trajecti* tota cum Ecclesiis & aedificiis incendio conflagravit. ipso tempore in mense Majo *Coloniae* pars aliqua civitatis exusta est.

Domnus *Arnoldus* Coloniensis Archiepiscopus *Romam* veniens, domno papae in sententia sua perseveranti minime reconciliari potuit, & sine restitutione officii sui rediit.

Wernerus Monasteriensis Episcopus obiit, cui *Fridericus* hujus Ecclesiae canonicus successit.

Anno Dom. MCLI. domnus *Arnoldus* Coloniensis Archiepiscopus obiit & successit domnus *Arnoldus* II Cancellarius Regis, & praepositus majoris domus.

Ipso anno fames horrida, & omnium rerum inaudita penuria.

Anno Dom. MCLII. Domnus *Arnoldus Romam* proficiscens ab Apostolico *Evgenio* ordinatur, a quo

quo etiam honorifice accepto pallio dimissus temptavit pacem diu neglectam toto studio reformare, praedones severis legibus & judiciis coercere, praesidia eorum dejicere, inter quae *seyne* fortissimum praesidium comitis *Fubardi* combussit, & solo aequavit.

Anno Dom. MCLIII. Eclypsis solis facta est VII Kalend. Februarii.

Henricus Moguntinus Archiepiscopus depositus est, cui *Arnoldus* substitutus est.

Item *Henricus* Mindensis Episcopus renuntiavit Episcopatui, cui succedit *Warnerus*, ejusdem Ecclesiae major praepositus.

Anno Dom. MCLIIII. Circa festum S. *Michaelis* expeditio Regis facta est in Italiam.

Anastasius papa obiit, cui *Nicolaus* Card. & episcopus Albanensis successit, & vocatur *Adrianus*.

Rex in Italiam trajecto exercitu primo impetu *Placentiam Emiliae* civitatem edomuit, quaedam etiam castella ob insolentiam mediolanensium igne devastat; deinde *Spoletum* opulentissimam umbriae civitatem totam incendio concremat, sicque versus mare pacifice transiens venit, ubi a pontifice Romano & omni senatu honorifice susceptus, in Imperatorem consecratur. post hanc sollempnem ordinationem a quibusdam vulgaribus facta seditione ex improviso tempore meridiano impetitur Imperator vero & sui subito armati hostes strictis gladiis trans *Tiberim* remittunt, & tanta in eos caede desaeviunt, ut ipse alveus fluminis

minis totus sanguine occisorum immutaretur. Hac cruenta victoria XIIII Kalend. julii in parva manu suorum perpetrata sequenti die reditum instituit, & exercitum incolumen in patriam reduxit.

Anno Dom. MCLV. Imperator de Italia galliam reversus perturbatores Regni & pacis adeo edomuit, ut in brevi quies firmissima redderetur.

Anno Dom. MCLVI. Imperator *Coloniam* circa festum omnium sanctorum veniens ab Archiepiscopo *Arnoldo* & civibus honorifice excipitur. Ibi quidam miles *Bernhardus* nomine qui in necem *Hermanni* de *Winceburg* conspirasse a duce Saxonum convictus est, inconsulte procedens jussu Imperatoris ipsius decollatur.

Anno Dom. MCLVII. domnus *Arnoldus* Archiepiscopus obiit. deinde generali electione clerus & populus habita gravi partium scissione a se invicem dividuntur, & una pars *Gerardum* Bonnensem praepositum, altera *Fridericum* praepositum S. *Georgii* acclamando variatur. sic utrimque justitiam partis suae defensantes cum magna animositate pro confirmatione electorum & investitura primum apud *Nurmberg* postremo apud *Radasponam* ad audientiam Imperialem & principum proficiscuntur, ubi tandem voluntate & judicio Imperii dum partes non conveniunt, *Fridericus* investitus inde continuo cum suis Electoribus digrediens *Romamque* veniens, a domino papa *Adriano* in Archiepiscopum consecratur. post hoc etiam accepto pallio cum summo suorum tripudio

Colo-

Coloniam regrediens in brevi castrum *Randerode* ad favorem *Gulivint Rorinberg*, & injuriam *Narperni* eiusdem castri tutoris obsidet, & dejicit, quod postmodum in melius restituitur, & firmiori vallo circumdatur.

Eodem tempore inter dominum Apostolicum *Adrianum* atque Imp. *Fridericum* graves controversiae oriri coeperunt quae hujusmodi causam habuisse feruntur. Papa *Innocentius* eius nominis II. *Romae* in quodam muro pingi fecerat seipsum, quasi in sede pontificali residentem Imperatorem vero *Lotharium* complicatis manibus coram se inclinatum coronam Imperii suscipientem. accessit huic aliud quiddam persimile, quod novae commotionis atque dissensionis magnum seminarium fuit.

Anno Dom. MCLVIII. Imperator Italiam intraturus *Reginaldum* Cancellarium suum, & *Ottonem* comitem palatinum praemisit. qui *Bononiam* venientes peractis ibi negotiis Imperialibus *Ravenam* secesserunt, ibique ab Archiepiscopo civitatis ipsius, & multis aliis Episcopis honorifice suscepti sunt; cumque causam adventus sui civibus intimare voluissent, praefectus eiusdem urbis & caeteri nobiliores quique ex urbe secedentes *Anconam* profecti sunt, quasi non Imperatori Romanorum, sed graecorum pro pecunia sibi promissa fidelitatem debitam servaturi; quibus redeuntibus accepta jam pecunia occurrit praedictus Cancellarius, & inito certamine cum X suis CCC illorum fugere compulit, ipsum praefectum cum

 filio,

filio, & VI. nobilioribus cepit, secumque *Ariminium* deduxit. sequente autem die versus *Anconam* iter arripuit & dum eum suscipere renuerent, urbem cum exercitu circumdedit, civesque ad deditionem coegit. post haec intercedente Archiepiscopo *Ravennati* pro suis civibus quos Cancellarius captos tenebat, eorum absolutionem meruit, totaque civitas domino Imperatori fidelitatem juramento firmavit, quod ante CC. annos nulli Imperatorum exhibitum fuit.

Igitur Imperator eodem anno propter Insolentiam mediolanensium valido exercitu adunato Longobardiam ingreditur multis se comitantibus Regni principibus, quorum praecipui erant Rex Bohemiae; *Henricus*, dux Saxoniae; *Fridericus*, dux Alamaniae; *Bertolfus*, dux Carinthiae; *Henricus*, dux Alsatiae; *Ludovicus* Landgravius; *Cunradus*, comes palatinus; *Fridericus*, Coloniensis Archiepiscopus. Transcensis itaque alpibus cum ventum esset ad fluvium, qui *adira* nuncupatur, & cum sine gravi periculo transire non potuisset, eo quod mediolanenses omnes pontes diruissent, Boemi quendam Longobardum capientes minis extorserunt ab eo ut eis vadum fluminis ostenderet, & sic demum constratis pontibus per triduum incolumis transivit exercitus omnis. post hoc papienses & cremonenses, cum valido Exercitu se Imperatori conjungentes, quia & ipsi hostes mediolanensium existebant, repente castrum, cui *Tritrum* nomen erat, ubi praesidia mediolanensium fuerant, obsidentes & expugnantes ceperunt.

perunt. Imperator vero *Mediolanum* appropinquans praemiſit Marſcalcum ſuum cum L militibus ad inveſtiganda opportuna caſtrorum loca quibus dum ſe *Ekkebertus* comes Auſtriae cum CCCC & eo amplius militibus ſociaſſet, conſideratis caſtrorum locis, dum redirent, & comes praedictus moras faciens tardius ſequeretur, mediolanenſes ad duo pene millia ſubito e portis eruperunt, & commiſſo praelio comitem cum nonnullis peremerunt, captos vero quosdam abduxerunt. Hac temeritate eorum motus Imperator, die ſequenti cum omni exercitu ad loca caſtrorum acceſſit, & excіſis vineis, quae in circuitu civitatis erant, ipſam forti obſidione circumdedit. Cum ergo ſic mediolanenſes obſeſſi eſſent, quadam die arma arripiunt, & e tribus portis audacter erumpunt, ex una ſcilicet ubi Imperatoris caſtra erant; ex altera ubi Rex Boemiae obſervabat; ex tertia ubi dux ſaxoniae erat; commisſum eſt itaque grave praelium, caeſarianis pro gloria, mediolanenſibus pro ſalute pugnantibus; victi ſunt tandem Mediolanenſes & in urbem redire coacti. ergo poſt aliquot tempus ſic obſeſſis multitudine ruricolarum intus conglobata, cum animalia ad paſcua exire nequirent, foetor ingens in urbe praevaluit. Conſiderantes quoque Mediolanenſes nequicquam ſe Imperatori reſiſtere deditionem facere diſpoſuerunt. Epiſcopo autem praecedente & clero, deinde militibus, ad extremum plebe ſequente pulchro ſpectaculo ad tentoria Imperatoris proceſſerunt, pacem & miſericor-

 diam

diam poſtulantes. Imperator itaque ex conſilio principum veniam, pacemque victis indulſit ſub congruenti conditione, & annui tributi redibitione. facta eſt conditio hujus victoriae in nativitate S. *Mariae* ipſa die Caeſar coronatus *Mediolanum* intravit, multis ante ſe Imperatoribus hoc negato. Itaque Imperator cum ſuis inde digreſſus acceptis obſidibus de *Mediolano* ſecurus, ad alia negotia poſuit animum nec multo poſt *Reinoldum* Cancellarium, & *Conradum* palatinum miſit *Mediolanum* pro conditione tributi, quod eis victis impoſuerat; Mediolanenſes vero ingenitae ſibi fraudis memores, necare Legatos Imperatoris, & bellum innovare diſpoſuerunt. quod cum cancellario & palatino innotuiſſet, mutato habitu nocte de civitate fugientes ad Imperatorem venerunt, & ei ſingula quae acciderant, indicaverunt. quibus cognitis Imperator furore ſuccenſus, directis undique nuntiis, principes & exercitum readunari juſſit, ac denuo Mediolanenſes obſideri mandavit.

Eodem tempore *Fridericus* Colonienſis Archiepiſcopus, qui erat in eadem Expeditione, caſu de equo corruens ruptis interioribus poſt paucos dies apud *Papiam* finivit vitam, corpuſque eius exoſſatum ad ſedem propriam relatum eſt.

Anno Dom. MCLIX. dominus *Reinoldus* Imperatoris Cancellarius, de quo multa jam praemiſimus, ipſo Imperatore Miſſis & ſcriptis petente & ſuggerente Archiepiſcopus Colonienſis Eccleſiae

ſiae eligitur & conſtituitur, ſed necdum conſecratur.

Iisdem diebus Imperator coadunato univerſo Exercitu urbem *Cremam* inimiciſſimam per VII menſes oppugnabat. his autem, qui intus erant viriliter repugnantibus, & multis hinc & inde corruentibus, cremenſes tandem rebus ſuis diffidentes in deditionem venerunt, ſeque, & urbem Imperatoris arbitrio tradiderunt; ſic itaque *Crema* victa & ſubacta eſt in qua ſpes maxima Mediolanenſium erat.

Poſt haec Imperator in terram Brixinenſium invecto Exercitu, pontes & caſtella pontium, per quae mercatus Mediolanenſibus apportari poterat, villasque quamplurimas devaſtabat. Erat quidam Burgus clauſus lacu palude, & montibus natura & ſitu loci munitiſſimus omnique genere divitiarum opulentus, adeo ut Brixienſes in ipſo amplius, quam in *Brixia* fiduciam haberent, & ſicut dicebatur, ibi mediolanenſes ſe recipere cogitabant, ſi *Mediolano* pellerentur. Igitur habitatores loci illius, dum ſe ad repugnandum confidenter praeparaſſent, a militibus Teutonicis per paludem, ubi arctiſſimus patebat aditus, ingresſis ſubito civitas capta & praeda magnifica in ipſa deprehenſa eſt: ſed intempeſto noctis ſilentio ignis furtim immiſſus praedam ipſam ſimul & civitatem in cineres redegit.

Anno Dom. MCLX. Imperator curiam apud *Parmam* urbem Italiae habens, affuere nuntii venetorum pacem & gratiam Imperatoris obnixe

poſtulantes, cum quibus ipſe honorabiles Legatos remiſit. affuit etiam ibi quidam Epiſcopus legatus Principis Sardiniae viri potentis & ditiſſimi promiſit namque idem princeps Inveſtituram & Coronam Regni ſardiniae a manu Imperatoris ſuſcipere & tributum condignum ei annuatim perſolvere. Dux etiam *Welpho* ei curiae interfuit ducatum ſpoletanum & Marchiam totius Tuſciae pertinaciter poſtulans: Sed Imperator talia nimis importune requirenti nihil ex omnibus concedens, inauditum & quaſi confuſum abire permiſit.

Eodem anno *Arnoldus* Moguntinenſis Archiepiſcopus a civibus ſuis, cum quibus diu contenderat, apud Monaſterium S. *jacobi*, quod in ſuperiore parte urbis ſitum eſt, crudeliter peremptus eſt & ipſum monaſterium cum clauſtro igne penitus conſumptum.

Anno Dom. MCLXI. *Adrianus* papa audito Imperatoris adventu circa feſtum beati *Petri*, quod dicitur *ad Vincula* cum Cardinalibus ſuis *Romam* egreſſus conſilium habuit, ut ipſum Imperatorem excommunicaret, ſed nocte ipſa morte praeoccupatus conſilium infectum reliquit. Sed dum quidam Cardinales hoc ſe voto pertinaci obſtrinxiſſent, quod nullum ei ſucceſſorem, niſi qui ejusdem propoſiti & voluntatis erga Imperatorem eſſet, eligerent; dominum *Rolandum* prioris Papae Cancellarium concorditer elegerunt, quem dum Romano more immantare voluiſſent, reſtitit obſtinatiſſime, indignum ſe honore hoc conteſtatus. hoc illi audientes, qui Imperio favebant,

Octa-

Octavianum Cardinalem virum nobilem elegerunt & Romano more immantatum *Victorem* appellaverunt, & in jubilo vocis in ſede beati *Petri* collocarunt, qui mox *Romae* conſecratus eſt nonas Octobris, quidam vero ex Cardinalibus nono die apud *Ciſternam* caſtrum convenientes praedictum *Rolandum* rurſus eligentes, immantatum ibidem conſecrarunt.

Itaque Imperator, qui adhuc in obſidione *Mediolani* morabatur, ut hoc Schisma ſanctae Eccleſiae removeret, curiam & concilium generale in octava Epiphaniae apud *Papiam* indixit omnibus Epiſcopis & principibus tam Alamaniae quam Longobardiae Tuſciae, Ungariae & Franciae, miſitque Epiſcopos, Pragenſem, Verdenſem, & Mantuanum vocans utroſque Electos & Electores ad judicium Eccleſiae. Itaque *Octavianus* qui & *victor*, cum ſuis fautoribus curiae & concilio ſe devote praeſentavit, *Rolandus* vero, qui & *Alexander* audita legatione Imperatori in haec verba reſpondit: Ego vocare debeo non vocari; ego judicare debeo, non judicari. quod ejus reſponſum a ſenioribus valde deteſtatum eſt, eo quod judicium Eccleſiae refugeret. qua de cauſa omnes, qui praeſentes concilio aderant, *Rolandum* excommunicarunt & *Octavianum* pro Apoſtolico ſuſceperunt.

Similia acta ſunt apud curiam & ſynodum, quam Imperator *Cremonae* habuit in dominica, quae eſt ante aſcenſionem domini. Itaque Imperator, & qui ſub ejus imperio erant, *Victorem*

 loco

loco summi Pontificis habebant, alii autem Reges & principes, Episcopi, & Abbates, populique omnes, *Alexandro* tanquam Catholico papae parebant. qui post haec transiens in Franciam a Rege & Episcopis honorifice suscipitur, a quibus etiam per aliquod tempus abundantissime, sibi suisque necessaria subministrantibus detinetur.

Anno Dom. MCLXII. Mediolanenses longa obsidione totis jam viribus fracti &c.

*) Chronicon hoc reperitur in Codice MS. Bibliothecae Reginae Sueciae in Vaticano num. 521. folio oblongo una eademque manu conscriptum. Codex iste membranaceus merito Chronici titulo insignitur; nam praeterquam author consignat monasterii sui S. *Pantaleonis* originem in anno DCCCCLXIIII. ac Dedicationem eiusdem in anno DCCCCLXXX. Abbatum quoque illius seriem pro temporum ratione prosequitur; simulque rerum praesertim Coloniensium suis locis amplam mentionem interjicit, aliaque curiosa multa profert & hactenus ignota.

II.

II.

ADOLFI ROM. R. SENTENTIA SUPER DAMPNIS PER CASTRENSES PASSIS.

Nos *Adolphus* *) Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus ad Univerſorum notitiam volumus pervenire quod anno Domini Milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto ſecunda feria poſt *Dyoniſii* **) nobis in Caſtro ante *Cruceberg* (a) pro tribunali ſedentibus obtentum fuit ad requiſitionem Venerabilis *Ludolphi* Electi & Confirmati Mindenſis (b) Eccleſie Principis noſtri dilecti per principum nobilium ac aliorum conſiſtorio noſtro aſſiſtentium concordem ſententiam coram nobis, ſi aliquis Princeps aut Dominus interpellat aliquem ſubditum pro impendendo ſibi auxilio contra ſuos adverſarios de caſtro quod ab eodem ſuo Domino tenet in pignore pacto interpoſito de danda ſibi pro hujusmodi auxilio pecunie certa ſumma, idemque ſubditis adjuvans dum ipſum de eodem caſtro ſibi obligato factusque eiusdem Domini officialis quod ipſe ſubditus ſeu officialis dampna que exinde pertulerit niſi aliud deducatur in pactum, debet perſonaliter ſuſtinere nec illud tenetur ſibi ſuus Dominus reſarcire. Datum in caſtro apud *Cruceberg* Anno & die predictis regni noſtri anno quarto.

 (a)

*) E gente Naſſovica Kalendis Maji 1229. *Francofurti* electus.

**) 10. Oct.

(a) *Hiſt. Landgrav. Thuring. c. 78. Chron. Monaſterii S. Petri in Monte Crucis ad Werram* apud *Paullini.* p. 298. ait. *Adolphus*, infeſtum nobis nomen, crucis montem aggreſſus, vadum fecit per *Werram*, non procul a loco, qui dicitur *Kumpfreyn*, quem ad huc vocamus *Königsfurt.* Ad hunc collem poſuit caſtra ſua & faciebat ſibi ligneam caminatam, quam miles *Adolffsburg* nominabat, vulgus vero noſter *Ailsburg.* Ex hoc colle per aliquos ſeptimanas variis modis afflixit novellam & vix cineribus ſuis exſurgentem civitatem, fortiter ſe defendentem; igne autem ſubjecto in cineres denuo collabebatur.

Cauſam hujus belli paucis enarrat *Chronicon Misnenſe* §. *CXXIII. ſq. Adolphus* Rom. Rex. in Thuringia circa villam *Eisleben* fixis tentoriis multa mala ex inopinato intulit, ex eo, quod emit terram Thuringiae pro XII. millibus marcis puri argenti ab *Alberto* ſeniore Landgravio, reſiſten- *Theoderico* juniore Landgravio, cui non ſolum haereditatis imo etiam emptionis jure debuerat.

Stero ad an. 1293. Adolphus . . . terras Thuringiae & Miſnenſes rebellantes ſibi intravit & duobus annis manens ibidem expugnavit easdem & nepotes olim *Friderici* Imperatoris perſecutores Eccleſiae, qui easdem terras occupaverunt, ejecit penitus ab eisdem.

(b) *Ludolphus* iſte in ſerie Epiſcoporum Mindenſium, quam exhibet *Piſtoricus Script. Rer. Germ. T. 3. p. 722.* omiſſus eſt. vid. *ſubſid. Diplom. T. X. pag. 42.*

III.

III.

SENTENTIA *ADOLPHI* IMPERATORIS QUOD NEMO IN ALTERIUS FUNDO SEU PROPRIETATE MUNITIONES CONSTRUERE DEBET.

Nos *Adolfus* Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus ad universorum noticiam volumus pervenire, quod Anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto secunda feria post *Dyonisii* *) nobis in castro ante *Cruceburg* pro tribunali sedentibus obtentum fuit ad requisitionem venerabilis *Ludolphi* Electi & confirmati Mindensis Ecclesie Principis nostri dilecti per principum nobilium ac aliorum consistorio nostro assistentium concorditer sententiam coram nobis, quod nullus comes in terminis comitatus sui in fundo proprietatis titulo ad aliquem incolam ipsius comitatus spectante possit de jure absque consensu ipsius ad quem spectat ipsa proprietas alicujus castri vel alterius munitionis edificia instaurare de novo. Item fuit obtentum in sententia coram nobis, ut si inter comitem cuius est comitatus & Dominum fundi predicti super edificiis prelibatis questio oriatur hujusmodi contentio coram nostra majestate tamquam superiori judice tractari debeat & finiri. Datum in Castro ante *Cruceburg* Anno & die predictis regni vero nostri Anno quarto.

*) 10. Oct.

IV.

SENTENTIA *ADOLPHI* IMPERATORIS QUOD ADVOCATI NON HABENT JUS AUT JURISDICTIONEM IN DOTE ALICUJUS ECCLESIE.

Nos *Adolphus* Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus ad universorum noticiam volumus pervenire, quod Anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto quinta feria ante festum beate *Katherine* *) nobis apud *Isenach* pro tribunali sedentibus per communem sententiam nobilium tunc nostro consistorio astancium erat obtentum nulli advocato quicquam licere nec aliquod jus vel jurisdictionem habere in dote alicujus Ecclesie vel clerici sive in rebus suis nec in vita nec in morte, Nos igitur hujusmodi sententiam justam decernentes approbamus & confirmamus presentium testimonio litterarum nostre Majestatis sigilli robore signatarum. Datum Anno Dni die & loco superius annotatis regni vero nostri anno quarto.

*) 24. Nov.

V.

V.

SENTENTIA *ADOLPHI* IMPERATORIS, SI DUO TENENT UNUM CASTRUM.

Nos *Adolphus* Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Ad univerſorum noticiam volumus pervenire, quod Anno Dni Milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto die ſancti *Coſme* & *Damiani* *) Indictione decima nobis in *Werchaim* pro tribunali ſedentibus queſitum fuit in ſententia coram nobis: ſi Duo Domini equo jure habeant unum caſtrum & jurant ſive compromittunt ſocietatem ſive pacem que vulgariter Borchürede nuncupatur inter ſe in caſtro memorato ſervare poſtea vero alter eorum prohibet ne ab altero ſuo conſocio cuſtodiatur, idem caſtrum per excubias ſive vigilias pro parte ſua ymmo mandat ut deſtruatur ſuburbium ſue partis ut per hoc totius caſtri amiſſio ſeu perditio conſequatur, utrum alter eorum hoc facere poſſit altero reclamante, diffiniente multorum nobilium tunc ibidem aſtantium ſententia eſt obtentum, quod neuter eorum altero invito partem ſuam in eodem caſtro ſive cuſtodia relinquere poteſt nec deſtruere nec quicquam attemptare in alterius prejudicium & gravamen preſentium teſtimonio litterarum noſtre Majeſtatis ſigilli robore ſignatarum. Datum die loco & annis Domini ſuperius annotatis Regni vero noſtri anno quinto.

*) 27. Sept.

VI.

VI.

VARIAE CAUSAE PONTIFICI *AVENIONE* COMMORANTI, PRAESERTIM RECONCILIATIO CUM *LUDOVICO BAVARO* R. R. PROPONUNTUR.

Reverende Domine *Ditmare* amice mi perdilecte, amicabili salutatione praemissa regratior vobis super novis almanniae ac caeteris in litteris vestris mihi scriptis. Nova curiae sunt quod quidam Imperator Tartarorum valde maximus misit ad curiam Nuntios solempnes cupiens recipere legem christianam, ut illic aliquis de Cardinalibus ad docendum eos transmittatur.

Item feria quarta in festis Pentecostes Dominus *Gerlacus* comes Nassowie, & Dominus Episcopus curiensis, & frater *Hermannus* de *Westfalia* ord. S. *Augustini*, novus doctor in Theologia, intraverunt *Avenionam* tanquam Nuntii solempnes quorundam Praelatorum Almaniae, nuper in *Spira* collectorum, petentes a Domino Papa & sacro collegio ut propter pericula animarum & scandala ac interdicta in terris Almanniae, & maxime Praelatorum, qui miserunt eos, Dominus Papa dignaretur sibi Dominum *Ludowicum* de *Bawaria* reconciliare, super qua re Dominus Papa primo in camera & sequenti die in collegio Cardinalium positus irate valde respondit, *) asserens praedictos Praelatos eos mittentes esse conspiratos cum dicto Domino *Ludowico* contra Romanam Ecclesiam, & quod ipse prius vellet mori ante-

antequam ipſum reciperet ad gratiam niſi prius cedêret omni juri ſuo & ſtatui & honori. Verum quia quidam Cardinales cupientes pacem Almanniae iſtam ambatiatam de partibus almaniae fieri procuraverunt volentes eſſe Legati ad reformandum almanniam, praedicti Nuntii inſtructi per hujusmodi Cardinales, ex parte praedictorum Praelatorum almanniae petunt, ut duo Cardinalium Legati ad almanniam transmittantur, Papa dixit, quod ſuos Cardinales nolebat urſis & Leonibus deſtinare. Poſt haec vero die lunae proxima Dominus Colonienſis ſubmiſit Dominum *Henricum* de *Tremonia* doctorem in legibus, qui per omnia agit ſicut Nuntii praedicti; in iſto negotio nondum eſt concluſum quod reſponſum fuerit per primum Nuntium, quem habere potero vobis ſcribam. Salva reverentia Praelatorum videtur mihi quod multum agant inconſulte in petendo Legatos Cardinales, nonne duo ex ijs anno praeterito totam Eccleſiam Moguntinam confuderunt accuſantes & referentes perperam valde multos, nonne *Bucchamatius* Cardinalis tempore *Rudolfi* Regis totam almanniam confudit, ſcientes quod ſi mittantur duo Cardinales, quilibet habebit pro procuratione ſua in die centum florenos incipiendo a prima die quando per Papam & Cardinales ad hoc eliguntur. Iſti Praelati miſeriae propriae volunt addere miſeriam majorem, & ſe & totam almaniam imbrigare & infamare. Capitulum Moguntinum miſit *Joannem* de *Sybergh* ad excuſandos canonicos citatos & Capitulum excuſationes

nes

nes eorum ſunt repulſae & ipſi ſunt excommunicati, praepoſitus Moguntinus eſt abſolutus ab excommunicatione, ſed tamen nondum eſt Domino Papae integraliter reconciliatus, ipſe impingit Capitulo omnia peccata ſua & ſic ſperat evadere.

Wormacienſis *Salmannus* eſt in curia & de factis ſuis adhuc nihil fecit, niſi quod impetravit unum judicem cardinalem coram quo agit, incipit ſuper fructibus praepoſiturae S. *Stephani* & fructibus theſaurariae S. *Petri* Mogunt. & fructibus praebendae Moguntinenſis, ſuper quibus etiam ſpecialiter impetit Praepoſitum Mogunt. de Capitulo Eccleſiae Wormatienſis nihil adhuc eſt acceptatum, in principio introitus ſui abſolutus fuit a ſententia excommunicationis ex parte Mercatorum uſque ad feſtum beati *Joannis Baptiſtae* proxime inſtans.

Valete & me Domino meo Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo recommendatum habeatis. Et coeteris ſocijs noſtris amicis meis.

Datum *avenione* die martis immediate poſt feſtum Trinitatis.

Subſcriptio. Honorabili viro Domino *Dytmaro* Capellano Reverend. Patris Domini *B.* Archiepiſcopi Trevirenſis amico ſuo Cariſſimo.

Joannes Verdenſis.

Ex Cod. MS. Eccles. S. *Andreae* Worm.

VII.

*) *Albertus Argentin.* rem plane aliter & ſic enarrat p. 127. In diebus illis (an. 1336.) *Spirae* convenientibus Principe *Henrico* Maguntinenſi de *Vir-*

Virnenburg Archiepiſcopo, item Argentinenſi, Auguſtenſi, Eiſtettenſi, Spirenſi, Curienſi & quibusdam aliis Epiſcopis Provinciae Maguntinae convocatis miſſisque per eos litteris & nuntiis ſcilicet Epiſcopo Curienſi & *Gerlaco* comite de *Naſſawe* ad Papam pro abſolucione Principis & deliberato per eos, ſi Papa nollet, quod iterum convenire deberent & deliberare, quid faciendum eſſet de eo. Cum Papa *Benedictus* (XII) nuntios recepiſſet benigne, in aurem nuntiis flens, quaſi conquerebatur, quod ad Principem eſſet inclinatus, & quod Rex Franciae ſibi ſcripſerit, certis litteris, ſi *Bavarum* ſine eius voluntate abſolveret, pejora ſibi fierent, quam Papae *Bonifacio* a ſuis praedeceſſoribus eſſent facta. Nuntiique ad rogatum Papae per Delphinum per montana ſunt uſque *Lauſannum* perducti.

VII.

CAROLUS IV. IMP. CONFIRMAT ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI JURA ARCHICANCELLARIATUS PER REGNUM ARELATENSE &c. *)

In nomine ſancte & individue Trinitatis Amen *Carolus* quartus divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemie Rex ad perpetuam rei memoriam. Etſi celeberrime memorie divi Romanorum Principes ſalubribus inducti ſtudiis votivum ſtatum & felix augmentum ſancte Trevirenſis Eccleſie multiplicioribus affectionum amplexibus, quas ad ipſam

Trevirenſem Eccleſiam & ipſius Antiſtites jugiter habuerunt diverſis libertatibus, privilegiis, donariis, munificentiis, beneficiis aliisque conceſſionibus gratioſis & favoribus ſpecialibus illuſtrarunt, noſtre tamen Majeſtatis celſitudo preclara ad imperialem reducens memoriam, impenſa ſervitia, quibus iidem Antiſtites pro tempore per expoſitionem rerum & corporum ſuorum ad Laudem & honorem ſacri Romani Imperii ad noſtri nominis gloriam triumphum ac utilitatem totius Reipublice ſingulari fulgore ſplendidius coruſcarunt, non ſolum prefata que impenſa ſunt beneficia ſtabilire, ſed eadem extendere; & extenſa gratiſſimis favoribus ampliare decrevit; Preſertim venerabilis *Bocmundi* ſancte Trevirenſis eccleſie Archiepiſcopi S. R. Imperii per regnum Arelatenſe & galliam Archicancellarii Principis & devoti Noſtri chariſſimi delectabili intuitu qui ſemper pro juribus & honoribus jmperii & Regni Romani conſervandis etiam in minori dignitate conſtitutus potenter expoſuit ſe & ſua Predeceſſorum noſtrorum veſtigia inſequentes, motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, debita cauſe cognitione premiſſa ac omnibus & ſingulis ſolemnitatibus que de jure ſeu conſuetudine in talibus requiruntur, ſana maturitate declarando & innovando volumus & confirmamus, quotieſcunque contigerit Nos aut ſucceſſores noſtros Imperatores & Reges Romanorum intrare terminos archicancellarie Archiepiſcoporum Trevirenſium videlicet terminos regni Arelatenſis & Gallie, quod ipſi Archi-

Archiepiſcopi qui pro tempore fuerint, vel ſui jurati ad eorum mandatum ſpeciale cuſtodiam Imperialium ſeu regalium, jura, obſervationes & proventus Archicancellarie predicte, nec non ſive dictos terminos intraverimus, ſive non, jura quecunque que de curia Imperiali ſeu regia in eisdem terminis intuitu eiusdem Cancellarie cedant vel cedere conſueverunt percipere & habere debeant, cum omnibus inſigniis huiusmodi dignitatis & ſpecialiter in cancellario protonotariis, & notariis inſtituendis ac deſtinandis, quando & quoties voluerit in Aula imperiali vel regali qui dictis Archiepiſcopis loco & vice noſtri pro Reverentia, obedientia & fidelitate debita obſervandis facient juramentum, decernent ipſum Archiepiſcopum & Eccleſiam Trevirenſem ab olim nunc & impoſterum jura pretacte cancellarie potuiſſe, debere & poſſe in dictis terminis exercere. Teſtes hujus rei ſunt venerabiles, *Gerlacus* Moguntinenſis ſancti Imperii per germaniam, *Wilhelmus* Colonienſis ſancti Imperii per Italiam Archicancellarii Eccleſiarum Archiepiſcopi. Illuſtriſſimus *Rupertus* ſenior Comes Palatinus Reni eiusdem Imperii Archidapifer & dux Bavarie, *Ludovicus* dictus Romanus Marchio Brandenburgenſis & Luſatie Archicamerarius, *Rudolphus* ſaxonie dux Archimareſchallus eiusdem imperii & Principes Electores. Prenſentium ſub Bulla aurea Typario noſtre Majeſtatis impreſſa teſtimonio literarum. Datum *Nurenberg* Anno Domini Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto Indictione no-

na, IX januarii regnorum noſtrorum Anno decimo, Imperii vero primo.

*) De Arelatenſi & Gallico Archicancellariatu Archiepiſcopi Trevirenſis vid. *Ludewig erläuterung der güldenen bulle zweiter theil.* pag. 596. ſq. ubi reperies diplomata jam a Veſontino Archiepiſcopo jam a Viennenſi Arelatenſis regni Archicancellariis ſubſcripta. Seculo demum decimo quarto Trevirenſis hunc Arelatenſem Archicancellariatum ſtabiliter obtinuit. Confer. *Ill. ab Hontheim l. c. Tom. 1. p. 632.*

VIII.

EDICTUM *JOANNIS* EPISCOPI HERBIPOLENSIS DE UNIFORMI IN TOTA DIOCESI CELEBRATIONE DIERUM FESTORUM.

d. d. *Herpiboli* die xvij menſis Septembr. an. 1404.

J*ohannes* *) dei gracia Epiſcopus herbipolenſis venerabilibus in criſto nobis dilectis univerſis & ſingulis abbatibus &c. Salutem in domino ſempiternam quamquam, ut ſanctorum ſanxiere decreta patrum, cunctos criſti miniſtros votiuis venerari officiis ac ſtudiis honorare ſolicitis debeamus, incunctanter tamen, ut dignis digna rependat pocioribus, ſancta mater univerſalis extollit inſigniis dignitatum, qui ipſam pre ceteris excellencius illuſtrarunt. Ne igitur indebita veneracione ſanctorum huiusmodi alie eccleſie noſtre dyo-

dyocesis deinceps discordent ab ecclesia nostra herbipolensi matre sua, a qua usque ad hec tempora conperimus quosdam ex eisdem plerumque deuiasse in eisdem, festiuitates per anni circulum per populum vobis subditum solempniter celebrandas, & que ab olim ipsa nostra ecclesia & populus ciuitatis solempniter celebrauit, presentibus duximus annectandas. Monentes, quatenus festiuitates eiusmodi & nullas alias sine nostra speciali auctoritate & licentia populo nostro ad celebrandum aliquatenus decetero indicetis. Festiuitates vero ipse, de quibus supra mencio fit, secuntur & sunt tales, festum natiuitatis domini nostri, Sancti *Stephani* prothomartyris, Sancti *Johannis* apostoli & ewangeliste, Sanctorum Innocentium, Circumcisionis domini, Epihanye domini, Purificationis sancte *Marie*, *Mathie* apostoli, Annunciacionis Sancte *Marie*, Resurreccionis dominice cum tribus diebus sequentibus, *Georii* martiris, *Marci* ewangeliste, *Philippi* & *Iacobi* apostolorum, Ascensionis domini, penthecostis cum tribus diebus sequentibus, Sancte trinitatis, Corporis Christi, *Bonifacii* episcopi, *Viti* martiris, Natiuitatis Sancti *Johannis Baptiste*, visitacionis Sancte *Marie*, *Petri* & *Pauli* apostolorum, Sancti *Kyliani*, diuisionis apostolorum, *Marie Magdalene*, *Iacobi* apostoli, *Laurencii* martiris, Assumpcionis Sancte *Marie*, Natiuitatis Sancte *Marie*, Concepcionis Sancte *Marie*, Exaltacionis Sancte crucis, *Bartholomei* apostoli, *Mathei* apostoli, *Michaelis* archangeli, Sancti *Pur-*

kardi, *Symonis* & *Jude* apoſtolorum, Omnium Sanctorum, *Martini* epiſcopi, *Eliſabeth* vidue, *Katharine* virginis, *Andree* apoſtoli, *Nicolaij* epiſcopi, *Thome* apoſtoli, Anniverſarius dedicacionis & feſtivitas cuiuslibet eccleſie patroni. Datum *Herbipoli* Anno domini Mmo. ccccmo, iiiito, menſis Septembris die xvij.

*) E nobili Franconiae proſapiae ab *Egloffſtein*.

IX.

SENTENTIA ARBITRALIS SUPER UNA PREBENDE.

Ego *Theodericus Reſeler* Decanus Eccleſie Mindenſis Arbitrator & amicabilis compoſitor a Reverendo in Chriſto Patre ac Domino Dno *Wulbrando* Epiſcopo ac Venerabilibus & circumſpectis viris Canonicis & Capitulo Mindenſi ex una & Dominum *Bernhardum* de *Werpe* de & ſuper omnibus litibus cauſis queſtionibus tam beneficialibus quam prophanis ac civilibus & criminalibus qualitercunque vertentibus ex altera parte aſſumptus & electus laudo pronuncio & dico pro bono pacis & concordie quod non obſtantibus ſuſpenſionis & privationis & quibuscunque aliis ſententiis per eosdem Dominos Epiſcopum & Capitulum conjunctim vel diviſim contra eundem Dominum *Bernhardum* latis iidem Domini Epiſcopus & Capitulum promittere & conſentire deberent & teneantur, quod ijdem Dominus *Bernhardus* canonica-

nicatum & majorem prebendam ecclesie Mindensis quibus privatus asseritur gaudere possit videlicet simpliciter & ex causa permutationis resignando vel alias prout melius videbitur dimittendo ad effectum quod ecclesiam parochialem in *Wilsauer* Bremensis Dioc. assequi valeat quam & cujus liberam possessionem Dominus *Hinricus Krampe* Decanus goslariensis cognatus meus in presentiarum possidens ex simili vel alia quavis honesta & licita causa prout melius expedire videbitur dimittere vult & debet mei amore, ipsi quoque Domini Episcopus & Capitulum & Canonici eundem Dominum *Hinricum* vel aliam idoneam personam per ipsum Dominum *Hinricum* nominandam ad hujusmodi canonicatum & majorem prebendam recipere & admittere & sibi vel persone hujusmodi salvis primo vino & disciplina solita omnia servitia per canonicos pro tempore noviter receptos solvi consueta integraliter & liberaliter remittere debent; *) sic tamen quod liber sit eidem *Bernbardo* de curia Canonicali & ceteris bonis suis dando vel vendendo disponere prout sibi placuerit, & statuta ipsius ecclesie pacientur, volo insuper

*) Inter chartas Mindenses retulimus de habitatione scolarium (Domicellarium) in communi Dormitorio. Item super certis pecuniis in emancipatione Canonicorum exponendis. *Subs. Dipl. T. 10. p. 77. 140, 259.* &c. In quibusdam Germaniae Ecclesiis Collegiatis viget adhuc usus, quod permutatarius in permutantis locum tam in choro quam in Capitulo intret, quin teneatur servitia aut juniorum onera portare.

ſuper laudo & dico quod illi qui tenent obediencias & decimas & alia additamenta que idem Dominus *Bernhardus* tempore dictarum aſſertarum ſuſpenſionis & privationis ſententiarum ut canonicatus dicte eccleſie poſtulabat omnes & ſingulos fructus redditus proventus obventiones & emolumenta quos & que a tempore privationis hujusmodi perceperunt integraliter reſtituant & ſolvant eidem Domino *Bernhardo* infra duos menſes poſt approbationem & emologationem preſentis laudi mei ſuper quorum quota ſtare debet idem Dominus *Bernhardus* cuiuslibet ipſorum ſolvere & reſtituere ut prefertur debentium juramento in manibus ſenioris & Capitulo preſtando, reſervo tamen michi terminum ſex menſium a die decima ſeptima menſis aprilis qua preſens laudum protuli incipiendorum prout ex tenore eiusdem compromiſſi poſſum poteſtatem declarandi ſi quid dubii forſan fuerit vel emerſerit in premiſſis. In cujus teſtimonium hanc laudi cedulam meo ſigillo feci ſigillare. Acta ſunt hec *Honovere* in cimiterio Eccleſie ſanctorum *Iacobi* Apoſtoli & *Georgii* martiris anno Indictione menſe die hora & Pontificatu &c. preſentibus venerabilibus & circumſpectis viris & Dominis *Bartoldo Ryken* Prepoſito *Theoderico Bogell* Prepoſito *Helmoldo Bodeker* Cantori *Hinrico Dorhagen* theſaurario *Theodorico* de *Cluderten* theſaurario Lubicenſis Wormacenſis verdenſis & ſancti *Wilbadi* Bremenſis eccleſiarum prelatis teſtibus ad premiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

1414. die 22. jan.

X.

X.

CAROLI BURGUNDIAE DUCIS LITTERAE, QUIBUS COLONIENSI ARCHIEPISCOPO *) OPEM SUAM PROXIME POLLICETUR.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri Illuſtrique Principi conſanquineo noſtro cariſſimo Archiepiſcopo Colonienſi.

Reverendiſſime in Chriſto pater, Illuſtriſque Princeps, conſanguinee cariſſime. Quia nuper Treugae & guerrarum abſtinentiae inter Regem & Nos, concluſae fuere, in quibus non comprehenduntur Dux Auſtriae, ſubdicti comitatus Ferrariae, cives oppidi Argentinen: Baſileenſis &c. &, quod noſtrae mentis & intentionis eſt, noſtrum iter, totiuſque noſtre armaturae, arripiendi verſus *Coloniam*, & Alemanniam, ſubditoſque veſtri Archiepiſcopatus ad veſtram plenariam obedientiam reducendi, & in quibus poterimus, vobis omne auxilium, & favorem praebendi & asſiſtendi, prout Reverendiſſime Paternitati veſtrae ſepius explicari fecimus, per noſtros Ambaſiatores ad vos deſtinatos, dictae veſtrae Paternitati Reverendiſſimae ſcribere decrevimus, ſupra dicto eidem notificando, contra ſuos jnimicos & rebelles ſe totalem diſponat, quia per Nos minime tenetur, quin dicti veſtri ſubditi ad dictam veſtram obedientiam omnimode reducantur, & ut citius ad hoc pervenire valeamus, mandamus comiti de *Campobaſſo*, conſanquineo noſtro, ut ſe ipſum cum omnibus noſtrarum ordinantiarum ar-

morum gentibus ſe, ad ſtatim & cicius quo poterit, cum machinis, lapidibus &c. & omnibus ad bellum neceſſariis transferat verſus *Trajectum*, & ibi praeſens noſtrum campum ultra Maſum inſtituat.

Veſtrae igitur prudentiae erit dicto comiti de *Campobaſſo* ſignificare dum illuc ipſum cum noſtrorum armorum gentibus pervenire contigerit, locum, in quo commodius dictum campum inſtituere poterit uſque ad noſtrum adventum, & ad premiſſa exequenda ſibi omnem prebere favorem & aſſiſtentiam poſſibilem. Reverendiſſime in *Chriſto* pater, Illuſtris Princeps conſanquinee cariſſime. Altiſſimus veſtram paternitatem diu conſervet ad vota incolumem. Ex *Lutzelburgo* oppido noſtro die XXII menſis Iunii Anno M. CCCC. XXIV.

Karolus Dux Burgundiae, Brabanciae, Limburgiae, Luzelburgae, & Geldriae comes Flandriae, Arteſiae Burgundiae, Hanoviae, Hollandiae, Selandriae, Zuphaniae &c.

*) Fuit is *Theodoricus*, comes Morſanus, Praepoſitus Bonnenſis, qui in hoc eodem anno Dioeceſin Paderbornenſem a Metropoli *Moguntinae* avellere attentavit.

XI.

LITTERAE *FELICIS* V. PAPAE, QUIBUS *ALBERTUM* MARCHIONEM BRANDENBURGENSEM HORTATUR, UT VEL IPSE VEL PER SUOS ORATORES CONVENTUM PRINCIPUM ET ALIORUM PRAELATORUM *MOGUNTIAE* TENENDUM *) FREQUENTARE HAUD POSTPONAT. D. D. *BASILIAE* DIE XII. MARTII A°. 1441.

F*elix* Papa quintus, Dilecte fili, Nobilis vir, Salutem & apoſtolicam benedictionem. Expoſuerunt nobis dilecti filii *Ludovicus* de *Lanzec*, ordinis Beate *Marie* teutonicorum prouincialis per provinciam Elſacie conſtitutus, nec non *borricus Vbelin*, canonicus Brixinenſis, ea, que nobis dicenda per eorum organum voluiſti, quibus verſa vice Reſpondimus, quemadmodum prefatus *borricus* narrationem tibi plenariam conficiet, cui in dicendis plenariam fidem adhibeas. Ceterum facit tue deuotionis Integritas & animi preſtantia, ut in hiis temporibus deſuper te ſinceram gerentes opinionem ad facta univerſalis ecclefie tuam virtutem confidentius excitemus; vides enim, quante Inimicicie, quante aduerſitates hactenus inſurrexerunt in ipſam eccleſiam & in ſacrorum prouincialium conciliorum auctoritatem, que, niſi defendatur, nihil ſupereſt, niſi ut amodo vileſcat fides, ludibrio ſit eccleſia, & omnia a Recto decidant ordine, Proinde dum ſentimus convencionem illam principum & aliorum prelatorum

rum tenendam esse *Maguncie*. In qua, ut speramus, non mediocris disputatio super negociis ecclesie vertetur, Hortamur deuocionem tuam attentius, ut ad dictam dietam, si commode poteris, procures personaliter te transferre, quod si tibi aliquod Impedimentum vetuerit, solennes tuos oratores nobiles & alios sciencia & virtute preditos ad eam destinare non postponas. Id enim faciens obsequium prestabis deo, succurres tue matri offense ecclesie, nomen tibi parabis clarissimum non solum in terris, sed Christi mereberis etiam graciam, cuius negocium agitur, dum sua carissima sponsa vulneratur. Datum *Basilee* sub annulo piscatoris xij Marcij M° iiijc xlj° Pontificatus nostri anno primo.

Martinus.

*) Sub anni initium comitia Caesar *Moguntiae* celebranda indixerat, magna Principum frequentia & solemniter celebrata; advenere illuc etiam *Eugenij* Pontificis & Concilij Basileensis oratores; quisque Caesarem & Principes ad suas partes trahere connisus. Verum a Principibus superioris anni decretum est repetitum: medios videlicet partium Caesarem & Principes eo usque permansuros, donec aliud in synodo Generali extra Florentinum constitueretur. Confer: *Subsid. Diplom. Tom. VIII.* per totum.

XII.

XII.

BULLA *PII* II. PAPAE AD *JOHANNEM* ET *ALBERTUM* MARCHIONES BRANDENBURGENSES, DE MATURANDO ADUENTU AD DIAETAM *MANTUAE* *) INDICTAM.

d. d. *Romae* XIII. Kalend. Febr. A°. 1458.

P*ius* episcopus, seruus seruorum dei, Dilectis filiis, Nobilibus viris, *Johanni* & *Alberto* Marchionibus Brandeburgensibus salutem & apostolicam benedictionem. Hodie in dei & domini nostri Jesu Christi nomine almam urbem, apostolatus nostri sedem, relinquentes ad ciuitatem Mantuanensem, locum diete indictum, iter dirigimus, persoluturi fidelibus populis uim pacientibus, quantum in nobis erit, paterne pietatis & misericordie debitum. Cum itaque tam ex Hungaria, quam ex locis orientalibus, noue in dies cristianorum calamitates afferantur, nuperque certissimis nuntiis accepimus, Turcos in tota Rassia sibi iam receptum parasse, & supra danubium loca complura munita cepisse, ex quibus in Hungariam expeditum transitum habent, quotidie insuper ad pestem nostram maioribus presidiis surgere, & quod dolenter referimus, Peloponesum totam, quam Moream appellant, calamitosis excursionibus peruagatos, multa animarum milia in lacrimabilem serultutem abduxisse, uidentes, hiis tantis malis, & que in futurum maiora timenda sunt, non nisi communi Cristianorum suffragio posse

posse obuiari, atque ad hanc rem moram omnem esse supra modum damnosam; hortamur nobilitatem uestram in domino, ut, hec pie considerantes, paternam requisitionem per alias nostras litteras nobilitati uestre factam, sicut catholicos Principes decet, mature adimpleatis, faciatisque, ut ad tempus prescriptum uox vestra in reliquorum conuentu deo & nobis non desit; Etenim, cum fidei causa agatur, non uni aut alteri nationi sed toti gregi dominico salutaris. Cum nos etiam, qui Cristi locum in terris tenemus, non etatis, non ualitudinis, non fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium, non curie nostre, non subditorum incommoda attendentes, nobis & ceteris in obsequium dei obuiam exeamus, nostro nimirum & illorum debito conuenit, sancte sedis apostolice exemplum imitari, ne, si in medio conatu soli relicti perficere cogitata nostra non possumus, grauius hoc animaduertat deus & macula deserte fidei principibus cristianis perpetuo relinquatur, de vestra nobilitate cuiue Zelum ad omne opus bonum perspectum habemus, cuncta deuotionis officia expectamus, atque, ita obtestamur, opere ipso complere contendatis. Datum *Rome* apud sanctum *Petrum* Anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo tertio decimo Kal. Febr. Pontificatus nostri anno primo.

T. de *Treuio.*

*) Conventum *Mantuae* publicum hoc anno habendum Pontifex indixerat, quo invitati fuere omnes

omnes Imperii ordines & Regum Legati pro suscipienda expeditione contra Turcas. Ungariam interim fortissime propugnante *Mathia Corvino Huniadis* filio, quem Ungari, rejecto *Friderico* Caesare, Regem sibi delegerant. *Corvinus* quippe & *Scanderbegus* Epirotarum princeps per id tempus duo fulmina belli Turcici. *Trithem. ad* h. a.

XIII.

LITTERAE PAPAE *PII* II. AD *ALBERTUM* MARCHIONEM BRANDENBURGENSEM, DE BENEFICIO ECCLESIASTICO *GEORGIO HESLER* *) CONFERENDO, DEQUE MARCHIONIS ADUENTU AD DIETAM *MANTUAE* TENENDAM MATURANDO.

d. d. *Mantuae* die IX. Sept. Anno 1459.

P*ius* papa II. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Litteras, per quas nobilitas tua nobis commendauit dilectum filium *Georgium Hessler* super beneficiis, que in ciuitate *Maguntie* uacauerunt, nisi tardius accepissemus, desiderio tuo libenter annuissemus, sed eas nimis sero accepimus, & eo tempore, quo iam de beneficiis predictis aliis prouideramus. Pro summa tamen nostra erga te caritate & paterna dilectione conabimur, dicto *Georgio* unum ex memoratis beneficiis conferre, ut non frustra tue pro illo apud nos preces fuisse uideantur. Ceterum vehementer admiramur, quod tua nobilitas nihil nobis

nobis refcribit de fuo aduentu ad dietam, quam pro fidei criftiane fuccurfu *Mantue* iam tenemus, & ad quam te una cum aliis catholicis principibus totiens litteris & nuntiis conuocauimus. Cum itaque tam neceffarii operis tractandi tempus imineat, nec differenda fint remedia communibus periculis chriftiano populo inftantibus, pluresque principes perfonaliter iam conuenerint & in dies conueniant, oratores autem omnium ferme nationum adfint, hortamur in domino Generofitatem tuam, ut diutius non moreris, fed debiti tui memor, caufe dei & reipublice criftiane tam urgenti tempore deeffe nolis, ad nosque quantocius perfonaliter uenias, qui tuum aduentum magno defiderio preftolamur & te uidere exoptamus. Nec te remoretur excufatio alicuius diete in partibus tenende. Nam noftra hec mantuana eo a Crifti fidelibus omnibus allis dietis & tractatibus hoc tempore anteferenda eft, quod & de communibus periculis depellendis in ea eft agendum, & quod, que dei funt, omnibus aliis negociis funt preponenda, prefertim cum tempus de aliis agendi quietius & melius tranfactis prouifionibus fidei referuetur. Datum *Mantue* fub annulo pifcatoris die IX. Septembris MccccLix Pontificatus noftri anno fecundo.

G. Lollius.

*) Oriundus *Wirceburgi*, Canonicus Ecclefiae Collegiatae ad Novum Monafterium, Decretorum Doctor; ob continuas *Friderici* Imp. preces creatus anno 1477. a *Sixto* IV. Cardinalis bresbyter

S.

S. *Luciae* obiit anno 1482. mense septembri obrutus Danubij aquis, dum parva lintre amnem trajicere tentat. *Mallinkrot de Cardinalibus Germ. p. 181. Viennae* ad B. V. in ripa sepultus. *Müller Reichs-tags-Theatr. p. 739.*

XIV.

LITTERAE PAPAE *PII* II. AD *ALBERTUM* MARCHIONEM BRANDENBURGENSEM, QUIBUS IPSI GRATIAS AGIT, QUOD ORATORES SUOS TANTA CARITATE ACCEPERIT, TANTUMQUE IN DIETIS CELEBRATIS *) TUTATUS SIT SUUM ET APOSTOLICAE SEDIS HONOREM.

d. d. *Rome* die XVIII. Aprilis Anno 1461.

P*ius* Papa II. Dilecte fili, salutem & apostolicam Benedictionem. Scripserunt nobis oratores nostri, quanta caritate eos acceperis, quantumque tua nobilitas in dietis, que sunt celebrate, tutata sit nostrum & sedis apostolice honorem, hec nobis non erant incognita, Speravimus semper, facturum te esse, quod fecisti & facis; Merito igitur virtutem tuam semper amavimus & dignum te duximus, quem omni honore & beniuolentia prosequeremur. Impleuisti munus Catholici principis, nobisque occasionem dedisti, ut perpetuo te diligamus, quod certe auctore deo toto affectu agemus, consilia tua, quibus eosdem oratores instruxisti, salutaria sunt & digna prin-

cipe sapienti. Amplectentur illa in cunctis, que agent. Amplectemur & nos, quantum cum deo poterimus. Hortamur & rogamus, ut sic semper faciat nobilitas tua, nec contra veritatem permittat nostram & dicte sedis existimationem offendi. Habebit nos semper sibi & domui sue affectos, Habebit Romanam ecclesiam beneficio hoc obligatam, que bene de se merentium gratam memoriam consueta est retinere. Plura ad te scriberemus, sed fides tua in nos atque deuotio rogari & persuaderi non patitur. Datum *Rome* apud sanctum *Petrum* sub annulo Piscatoris die xviii. Aprilis MccccLxj Pontificatus nostri anno tertio.

Ja Papien.

*) Inter exprobrationes a *Pio* II. Pontifice *Diethero* Archiep. Mog. electo & Confirmato factas, continetur, ab eodem Principum Conventus primum *Francoforti* dein *Moguntiae* absque Caesaris auctoritate convocatos, in iisque Episcopos & Principes adversus Apostolicam sedem conriose tracitatos, ipsosque Pontificis Legatos injuctatos &c. fuisse.

XV.

XV.

LITTERAE *BORSII* DUCIS MUTINAE PRO LIGA CONTRA TURCAS.

Borsius Dux Mutinae & Regij Marchio Estensis, Rodigiique comes &c. *) Novimus sanctissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum, Dominum *Paulum*, divina providentia *II.* summum Pontificem praeter alias multiplices, dignissimasque eius cogitationes & curas, hac una maxime tentum, exagitatum atque incensum semper fuisse, ut non solum Italiae, sed universo orbi male quiescenti, pacem tribueret. Verum, cum id factum difficillimum diutinumque fore conspiceret propter multorum Regum & Principum, aliorumque Potentatum inveterata odia, exitialesque discordias, excogitavit aliquid Pater sapientissimus & optimus, quo saltem in praesentia Italis rebus aeque consuleret, in eoque omnem ejus operam studium, diligentiam ponere constituit: nam societatem & unionem universalem, vel, ut vulgo appellamus, Ligam, inter cunctos Italiae Principes & Potentatus iniri, firmarique sitit, anhelat & ardentissime & laboriosissime curat, & instat,

*) Is Anno 1460. aureorum trecenta millia in expeditionem adversus Turcas praeter communem portionem dare pollicitus est. an. 1471. *Borsius Arestinus* de sede Apostolica optime meritus maxima pompa, ut regiam non aequaret modo, sed vinceret, Urbem ingressus a *Sixto IV.* PP. Ferrariae Ducis titulo exornatus est. *Raynald. Annal. Eccles. Tom. XIX. p. 231. n. 56.*

instat, ea potissimum ratione adductus, ut sic mutuo quiescentibus, in unum cogantur Italiae vires, & imminenti exitio & internetioni Christiani nominis, cui foedissima & immanissima Bestia *Mahomet*, Turcorum Tyrannus inhiat, & omni robore terra marique incumbit & invigilat, magnifice consulatur, provideatur, obsistatur. *)

Cum igitur Beatitudo sua sic nos, sicut reliquos omnes invitaverit, incenderit, imo vero pro summa eius humanitate & conservanda & amplificanda fide Christiana, ardore, quo decoquitur universorum quae sub coelo sunt Dominus, precibus nobiscum egerit, ut ad eam tractandam, ineundam, concludendam atque firmandam, cum caeteris oratoribus, Nuntiis, unum ex nostris deligeremus ac constitueremus, cum mandato ad id amplo & pleno.

Nos, qui, pro vetere Estensis Domus nostrae more, & instituto, & optima nostra natura, paci & concordiae semper studuimus, quique fide, obser-

*) Turcae post tot Regna & provincias Christianis ereptas, florentissimam Euboeae insulam occuparunt, expugnataque Chalcide, totius Graeciae propugnaculo, Italiae imminere coeperunt. Ad has increscentes quotannis Turcarum vires infringendas *Paulus II.* PP. pro suprema Christianae Reip. cura scripsit ad omnes prope Europae principes, deinde ad *Fridericum* Imp.; auctorque fuit illi, Conventus Principum celebrandi, quem in annum sequentem Imperator indixit, cum jam Turca Croatiam, Carinthiam vicinasque Austriae provincias percursaret. *Browerus Annal. Trevir. l. 19.*

obſervantia, & obedientia in ſanctitatem ejus (pace omnium dixerim) vel aequamus vel ſuperamus cunctos mortales, parati plusquam bonum immo ſalutare remedium adverſus tantam ſtragem Chriſtianorum, & everſionem Reipublicae & orthodoxae fidei impendentem, non revocando per hoc aliquem alium procuratorem, commiſſarium & oratorem, ſed potius confirmando ſponte, ex certa ſcientia, ac animo deliberato, & omni alio modo, via, jure, & forma, quibus magis melius & validius poſſumus cum interventu quarumcunque ſolemnitatum tam a jure, quam a conſuetudine, requiſitarum, pleniſſime ex omni parte confiſi de ſingulari prudentia, fide, integritate & diligentia ſpectati & generoſi viri *Jacobi Trotti*, civis Ferrarienſis, & oratoris apud eundem ſanctiſſimum Dominum noſtrum continuo commorantis, harum noſtrarum patentium litterarum ſerie & tenore, facimus & conſtituimus, & ordinamus *Jacobum* ipſum, noſtrum verum, certum indubitatum & legitimum commiſſarium, Mandatarium & Nuntium ſpecialem, ad, nomine noſtro, tractandum concludendum & firmandum generalem & univerſalem ſocietatem, confoederationem & Ligam, cum reliquis Principum, & Potentatum Italicorum, ad haec oratoribus qui *Romam* iverint, & ituri ſunt ob hanc ipſam cauſam, ab ipſo ſummo Pontifice evocati, illis modis & conditionibus &c.

Datae in Palatio nostro *Coparii* Anno Dominicae Nativitatis MCCCCLXX. Indictione III. die VIII. mensis Octobris. *)

Ex Cod. MS. Bibl. Vatican. num. 6198.

*) De Turcarum irruptione in Carniolam vid. *Jacobus Papiensis lib. VII. p.* 449. sq. *Jacobi Unrethi Chronicon Austriacum. p.* 562.

XVI.

CAPITULATIO A *ULADISLAO* REGE BOHEMORUM SUBSCRIPTA ET SUO SIGILLO MUNITA.

In nomine Domini Amen. Anno MCCCCLXXI. in montibus Kutirae a Principibus, Baronibus, militaribus, Pragens. & aliis civitatibus Regni Bohemiae, & totius communitatis facta est Electio serenissimi Principis & domini, domini *Uladislai*, serenissimi principis domini, domini *Kazymiri* Regis Poloniae, magni ducis Lituaniae, Russiae, Prussiae, domini & haeredis filii sui primogeniti, illa feria II post ascensionem domini, juxta Libertates, jura coronae Bohemiae, de libera voluntate, & absque ulla obligatione eorundem erga nos & nostros posteros; quae electio per nuntios ad nos missos ab eisdem nobis nuntiata, & nos per eos in Regem Bohemiae & dominum suum elegisse, & acceptasse, publicari cum totali & sufficienti mandato commiserunt; quod mandatum magnificis *Stiborio* de *Uzymbuygb* & in *Thowarzow*, su-

ſupremo Capitaneo Marchionatus Moraviae, & *Joanni* de *Cymburgh*, *Nicolao* de *Iaudirſtein* dederunt, qui nuntii articulos nobis infra ſcriptos neceſſarios a toto Regno Bohemiae attulerunt, oſtenderunt, & de gratia dei dec eisdem concordarunt die ipſa S. *Viti*, & in Craſtinum die dominica in palatio caſtri pragenſis promiſimus illos omnes articulos, & alia jura, libertates Regni Bohemiae ſervare, & circa illos tenere in praeſentia sereniſſimi Principis domini *Kazymiri* Regis Poloniae &c & Reverendiſſ. *Joannis* Epiſcopi abneznens. & aliorum, cum in Regem Bohemiae nos aſſumpſerunt, & in Dominum proclamarunt, quorum articulorum infra ſcriptorum tenor talis eſt.

I. Inprimis, prout diaea in montibus Kutirae generalis eſt tenta, & in ea diaeta in Regem Bohemiae electi ſumus, promiſimus litteras eisdem neceſſarias ad hoc dare & concedere, ne hujusmodi electio facta nocumento ſit Baronibus, militaribus Pragenſibus, & civitatibus, quemadmodum moris eſt, Regem *Pragae* & non aliunde, juxta privilegia & libertates debere eligere.

II. Item; promiſimus: inter ſanctum concilium Baſileenſe ex una, & Regnum Bohemiae, ex altera partibus, compactata, ac marchionatum moraviae erecta, ut illa robur & valetudinem ſuam habeant, obſerventurque, & hoc eisdem tenere debemus juxta omnes inſcriptiones eisdem a noſtris anteceſſoribus datas, & inſcribere, prout alii Reges Bohemiae inſcripſerunt, obſervarunt, & ad finem deducere; & ſiquis contra id eſſe, &

Regno Bohemiae ac Marchionatu Moraviae illa velit infringere, debemus eos defendere, manutenere, contra unumquemque, ac penes summum Pontificem hoc agere & expedire ut Bohemis & Moravis eadem confirmentur.

III. Item; promisimus: ut talis Archiepiscopus ad Ecclesiam Pragens. detur & ordinetur, qui Bohemos & Moravos circa compactata teneat & observet tam spirituales, quam saeculares & etiam juxta inscriptiones sanctae memoriae Caesaris *Sigismundi* & aliorum Regum usque ad tempus *Georgii*, & hujusmodi Archiepiscopus cito ordinetur & consecretur.

IV. Item promisimus: coronam Bohemiae tenere, observare, ac totam communitatem Baronum, militarium pragensium, & aliarum civitatum, circa jura, ritus, libertates, ordinationes, concessa, & circa antiquas laudabiles bonas consuetudines.

V. Item promisimus: omnia privilegia, inscriptiones, a caesaribus & Regibus Imperii ac Regibus Bohemiae, & ducibus bonae memoriae Regno Bohemiae data & concessa, & singulis Baronibus, militaribus, civitatibus pragens. & aliis personis tam spiritualibus, quam saecularibus concessis, & pracipue piae memoriae Regis *Ottagari*, Regis *Joannis*, Caesaris *Caroli*, Regis *Wenceslai*, Caesaris *Sigismundi*, Regis *Alberti*, Regis *Ladislai*, Regis *Georgii*, usque ad mortem omnes inscriptiones, sine conditione aliqua, emanatas tenere & inviolabiliter defendere.

VI.

VI. Item promiſimus: arcem *Karlſtein*, coronam, clenodia Regni & tabulas privilegia, nemini velle committere ſeu confidere, absque voluntate & conſilio Baronum, militarium Regni Bohemiae & civitatis Pragenſis, & aliorum, quae ad id Ius habent.

VII. Item; addiximus: quando ad Coronationem veniemus, quod volumus ordinem & antiquam conſuetudinem Regni Bohemiae tenere & ſervare.

VIII. Item promiſimus: de extraneis tam ſpiritualibus, quam Saecularibus, ad nulla officia Regni vel civitatum aut ſpiritualium eſſe locandos, neque arces, civitates, coronae Bohemiae eisdem committantur.

IX. Item; promiſimus, nos velle agere & procurare juxta noſtram diligentiam, ut Rex *Georgius*, piae memoriae, ab omnibus excommunicationibus, aggravationibus, vituperiis ſpiritualibus, quibus in vita & poſt obnoxius erat, & utcunque illa in eum provenerunt, apud Sanctiſſ. Pontificem efficere, una cum Baronibus militaribus civitatenſibus & tota communitate tam ſpiritualium quam ſaecularium, ut liberentur, absque aliqua fatiga & expenſis ſuis.

X. Item; promiſimus: quod non debemus provincias, ducatus, civitates, arces, caſtella, oppida & quaecunque alia bona pertinentia ad Regnum Bohemiae, a corona Bohemiae alienare nullo pacto ſeu modo, aut ullis in matrimonium

 do-

donationibus, verum illa, quae hucusque alienata sunt, debemus reducere & congregare.

XI. Item; promisimus, sereniss. *Johannam* Reginam Bohemiae penes suam dotem, jura, privilegia & justitiam conservare eo modo, uti aliae Reginae orphanae a Regibus servantur.

XII. Item; promisimus: Illustrissimis *Victorino*, *Henrico*, *Hynckoni*, ducibus monsterburgensibus & comitibus in *Soloz* Baronibus de *Kymstadt*, & magnifico *Vozoni* etiam de *Kymstadt* fratri eorum, & filio, piae memoriae Regis *Georgii*, circa eorum dominium jura, justitias, inscriptiones, tenere & observare, & ad haec omnia, quae Pater eorum Rex *Georgius* bona impignoravit, seu illos pro se fidejusores reliquit, tam verbo quam litteris ob necessitatem Regni Bohemiae, illa ut eis restitueremus, & de inscriptionibus seu fideiussionibus liberaremus, & praecipue de debitis, quae ratione salarii curialium servitorum in se receperunt.

XIII. Item; promisimus computoribus & familiaribus, quibus satis factum non est, neque cum illis concordatum, cum illis velle concordiam de consilio Baronum Regni Bohemiae.

XIV. Item; promisimus; Illustrem *Victorinum*, & alios captivos, qui ob Regem & Regnum Bohemiae damna acceperunt, eo cogitare, ut sine damno liberentur.

XV. Item; promisimus; illos, qui Regi *Georgio* serviverunt, & adhuc penes nos & coronam Bohemiae sunt, de amissione arcium, & bonorum

rum eorundem velle relevare & juvare, ut ſua bona & arces rehabere poſſent.

XVI. Item; promiſimus: pro honore coronae Bohemiae cum Archiepiſcopis, Praelatis, principibus, Imperii tam ſpiritualibus quam ſaecularibus, cum quibus alii Reges in liga fuerunt, etiam amicabiliter velle vivere.

XVII. Item; promiſimus: monetam Regni Bohemiae nullo modo velle in valore diminuere, ſed juxta privilegia Regni Bohemiae tenere.

XVIII. Item; promiſimus: de ſervitiis illuſtriſſ: Principis *Alberti*, ducis ſaxoniae, quae nobis & coronae Bohemiae impendit, gratanter providere & juxta conſilium expoſita refundere.

XIX. Item; promiſimus: pro nobilibus dictis *Oſple*, velle penes duces Saxoniae intendere, ut ad ſua poſſent bona redire ad hujusmodi promisſiones noſtras & earum robur & firmitatem articulorum, nos *Uladislaus* Rex Bohemiae & Marchio Moraviae, dux Sleziae, Sigillum noſtrum Regale ad has litteras noſtras appendi juſſimus.

Datum die, anno quibus ſupra. *)

Ex Cod. MS. Bibl. Vatican. num. 3924.

*) In comitiis Norimbergenſibus hoc anno actum quoque fuit de Bohemorum electione, qui mortuo *Georgio Uladislaum Caſimiri* Poloniae Regis filium quindecim annorum adolescentem renuntiaverant, an rata haberi deberet. Improbat eam Pontifex & ab haereticis factam ac irritam fieri debere per legatum ſuum in Comitiis contendebat, *Mathiae* quoque *Corvini* Regis Hungariae legati, ne ea ab Imperii Ordinibus approbaretur, inter-

intercedebant. . . . Principes vero plerique Imperatoris judicium fecuti ad *Uladislaum* proniores erant. . . . Acta publica.

XVII.

MAXIMILIANUS DUX AUSTRIAE TRACTATUS MATRIMONIALES CUM *MARIA* BURGUNDIAE DUCISSA PER *FRIDERICUM* IMPERATOREM INITOS ACCEPTAT.

M*aximilianus* Dux Auftriae Illuftriffimo principi *Karolo* Duci Burgundiae, Domino, Patri, ac focro fuo Kariffimo. Illuftriffime Princeps domine, pater, ac focer Kariffime. Venerunt ad Nos pridie Reverend. in Chrifto Pater Dominus *Georgius* Epifcopus mentenfis amicus nofter cariffimus & venerabilis devotus fincere nobis dilectus *Georgius Heslar* confiliarius nofter, referentes Matrimonium inter Nos & Illuftriffimam *Mariam* Duciffam Burgundiae, conthoralem noftram cariffimam filiam veftram per fereniffimum & invictiffimum Principem & Dominum noftrum Dominum *Fridericum* Romanorum Imperatorem femper auguftum, dominum & patrem noftrum Kariffimum cum amicitia veftra aliquamdiu tractatum cum eadem filia veftra domina *Maria* duxiffa Burgundiae, Iuffu & mandato veftris per eos conclufum, tractatum, & ad finem effe perductum, Nos requifiverunt ut dictum Matrimonium acceptaremus, approbaremus, & omnia per

per eos nomine & vice noſtris occaſione dicti Matrimonii cum praefata Illuſtriſſima domicella *Maria* duxiſſa Burgundiae, Conthorali noſtra Kariſſima facta tractata & concluſa ratificaremus, & in ipſam ut conjugem noſtram conſentiremus. Praeterea litteras, quas eadem conthoralis noſtra domicella *Maria* manu ſua ad Nos ſcripſit, & Iocale per eam ad Nos transmiſſum praeſentarunt. Auditis itaque & intellectis praemiſſis ingenti gaudio & laetitia exhilaratus eſt animus noſter, dictumque matrimonium inter nos & eandem domicellam *Mariam* per eos contractum & concluſum coram praefato Genitore noſtro Kariſſimo, aſtantibus pluribus principibus Eccleſiaſticis & ſaecularibus, praelatis & Baronibus ſollempniter acceptavimus, approbavimus, & ratificavimus, & in eandem Conthoralem noſtram D. *Mariam* Duxiſſam Burgundiae, ut in legitimam conjugem noſtram conſenſimus, & eandem in uxorem duximus, agentes gratias amicitiae veſtrae quod Nos pro ſua benignitate dictae filiae ſuae dominae *Mariae* duxiſſae Burgundiae conſortio & amore frui, & in generum ac filium ſuum amplecti voluit, pro qua quidem benevolentia ac beneficiorum cumulo etſi Excellentiae veſtrae dignas gratias referre nequeamus, eas tamen quantum grati animi eſſe poterit quamdiu nobis vita comes fuerit amicitiae veſtrae ſemper habebimus, rogantes Excellentiam veſtram obnixius ut Nos pro ſua humanitate in filium ſuum amplecti & amorem ac benevolentiam quam erga nos concepit in aevum

con-

conservare velit quod erga amicitiam vestram studiosissime promerebimur cui nos ex corde quam maxime commendamus &c. Datum *Wiennae* die XXIIII Ianuarii anno Dom. M. CCCC. LXXVII.

Maximilianus Dux Austriae & Illustrissimae *Mariae* duxissae Burgundiae, Conthorali suae Karissimae.

Illustrissima Princeps, Conthoralis Karissima. Venerunt ad nos pridie Reverendus &c. (ut supra) referentes matrimonium inter Nos & amicitiam vestram aliquamdiu per utriusque nostrum parentes pertractatum nomine & vice nostris cum amicitia vestra, auspice Deo, Illustrissimi Principis D. *Karoli* Ducis Burgundiae soceri & patris nostri carissimi voluntate & consensu ad hoc accedentibus conclusum, & per verba de praesenti esse contractum, firmumque ac stabile inter Nos & dilectionem vestram modo fore conjugium. Nobis insuper Iocale per amicitiam vestram missum, & Litteras manu vestra ad Nos scriptas praesentarunt, quibus lectis & intellectis omnibus commota sunt viscera nostra & ingenti sumus laetitia & maximo gaudio inde permoti, dictumque matrimonium praesentibus serenissimo ac invictissimo Principe & domino domino *Friderico* Romanorum Imperatore semper augusto domino & patre nostro carissimo, ac pluribus Principibus sollempniter acceptavimus approbavimus, & ratificavimus ac in amicitiam & personam vestram & in legitimam conjugem & conthoralem nostram carissimam & dictum matrimonium expresse consensimus, praedictumque jocale ob amorem vestrum gestabimus,

bimus, & eo pro vestra memoria utemur, agentes gratias immortales Deo qui sua divina clementia nos cum dilectione vestra matrimonio conjungi & mutuo frui consortio & amore voluit & ordinavit, faxitque immensa illius pietas ut in ejus laudem & gloriam nos invicem complectemur, & inter Nos contractum conjugium ad felicem perducamus effectum, rogantes amicitiam vestram obnixe ut cum nos coram affari nequeat, mutuam saltem benevolentiam, & amorem quem erga nos concepit litteris ad nos saepius perscribere velit, quod itidem Nos facturos pollicemur dilectioni vestrae cui nos ex corde quam maxime commendamus felicissime per longiora tempora valiturae. Datum *Wiennae* ut supra. *)

Ex Cod. MS. Mogunt.

*) Vid. *Roo lib. VIII.* p. 288. *Philippus de Comines* p. 128. *Recueil de Traites de paix T.1.* p. 643. *Fuggerus lib. V. c. 26. n.* 7. &c.

XVIII.

FOEDUS INTER EPISCOPOS, COMITES AC CIVITATES INFERIORIS SAXONIAE.

Ex Dei gratia Nos *Conradus Osnaburgae* (a) *Simon Paderbornae* & *Henricus Mindae* Episcopi, *Ericus* & *Antonius* Holsatiae & Schaumburgi comites pro nobis loco nobilium ac bene natorum

(a) Ex Comitibus de *Dipholt.*

rum juniorum dominorum *Ottonis* & *johannis* dilectorum noſtrorum fratrum; nos *Juſtus* Comes Hojae ac Brockhuſii, *Bembardus* nobilis dominus in *Lippa Rudolphus* nobilis dominus in *Diephold*, atque nos ſenatus civitatum *Goslariae Magdeburgi*, *Brunswigae*, *Luneburgi*, *Hildesheimi*, *Gottingae*, *Stendaliae*, *Hannoverae* aliarumque civitatum, quas ulterius juxta tenorem contractus & foederis ad hoc requiremus, aperte confitemur pro nobis & noſtris poſteris, haeredibusque, quod nos in Dei laudem in Sanctae Chriſtianae Eccleſiae ac Romani Imperii honorem nec non in Regionum ſubditorumque & noſtrarum civitatum omnium commodum coaduniverimus & conjunxerimus eam ob cauſam, nempe, quum natus princeps ac dominus dominus *Fridericus* Brunſv. & Luneb. Dux per aliquem S. Cels. Clem. morbum, ſuae Conjugi Dn. *Margarethae* ſubductus, & in loca ubi nunquam E. Cels placuit, pertractus, & talibus hominibus cum quibus ante hac nunquam converſari voluit pro cura ſui demandatus ſit, atque ſic privatus fuerit arcibus & ad ſe pertinentibus ditionibus, quas ſumme praedictus Princeps in poſſeſſione tenuit, etiam conjugem ſuam dotalitio ſuo (quod omni jure pridem ipſi ad ſcribendum fuerat) nondum providerit: tum adhuc quum nobilis & bene natus junior Dominus *johannes* Comes Rettbergenſis abſque belli feciali denunciatione cum ſuis plane iniquiter circumvallatus & captus ſit. Tum quoque quum honorabilis Civitas *Hildeshemium* jam ultra oblationem omnis juris ac nobis omnibus reliquis civitatibus libera nego-

gotia-

gotiatio in advehendis & avehendis commerciis prorſus praecluſa ſit, nec tuto uspiam ad id viae concedantur, tum ſimul Hildeshemenſes ac reliquae civitates in libertate ſua veteri jure conſuetudinario detractiones & impedinenta pati jam cogantur. Propterea coadunimus nos inter nos & contractum hunc pangimus ad cujusque partis proprios ſumptus damna carcerationes & pericula in praeſentibus literis juxta tenorem & modum ſequentem qui extenſus ſit in XX annos continuos a dato hujus ſcripti. Ideoque primo nos mutuo promittimus, quod nos praedicti domini debeamus & velimus inimici fieri & hoſtiliter tractare ſtatim Reverendum in Deo Epiſcopum *Bartholdum* Hildeshemenſem, item excelſe natum Principem ac Dominum Dn. *Wilhelmum* & *Henricum* ejus filium Brunswic. & Luneburg. duces; Item Epiſcopatus Hildesheimenſis incolas, Mannos, eorum terras, & ſubditos atque ubi decentia expoſtulaverit id, ac noſtrorum dominorum quispiam debeat, & velit ſemetipſum in Perſona *Hildeshemii* primum ſiſtere. Hoc quando fuit peractum tunc nos civitates praedictae die ſtatim ſequenti debemus & volumus eſſe hoſtes Epiſcopi Hildeshemenſis, Epiſcopatus mannorum ejus ditionis & ſubditorum, & etiam hoſtiliter eos invadere. Nos quoque praenominatae civitates e veſtigio feciales literas noſtras volumus & debemus a dato hujus conventionis & foederis in manus ſenatus Brunſwicenſis obſignatas tradere; atque tunc quam primum nominati Domini ſcriptis & orali mandato poſtulari curent, tunc nos ſenatus

 Brun-

Brunswicensis literas feciales absque mora mittere volumus & debemus sin dolo malo; modo nobis praedictis dominis & civitatibus juxta nostrum omnium Consilium & mandatum a saepius nominatis dominis Brunswicens. & Luneburg. obtingere possit, quod cuique hoc contractu & foedere complexum esse a Deo, honoris & juris causa nobis competit etiam nos domini praenominati debemus quempiam ex nobis dominorum, qui idoneus ad id sit cum L equitibus versus *Brunswigam*, qui secum iis & aliarum civitatum equitibus conjungant, mittere ad equites eorum ducendos & regendos. Ac quando domini & civitates una in campum progrediuntur, & oppida, cives, Pagos, captivos, spolia, rapinas, & redimenta, aliudve accquisiverunt, tunc dominis dimidia pars, & civitatibus altera pars in lucrum cedet, quod sumant sibi. Sed civitates tamen Dominis pro occupatis arcibus & oppidis quotquot oppignorata aut adscripta illis sunt, dimidium pecuniae solvent. Si vero occupatae arces & oppida oppignorata fuerint, tum nos civitates saepius dictis dominis dimidium juxta honestam aestimationem solvemus, & occupatas arces & oppida nobis sumemus, quod nobis dominis citra omnem contradictionem complacitum habebimus. quod si vero accidat, ut nos domini, aut civitates quisque nostrum, aut singulariter quis solus quid accquisiverit, aut si aliquis nostrum in uno aliquo loco, & alius in altero solus sibi quid acquisiverit, illud lucrum quis sibi soli reservet, excepto tamen eo omni, quod ad communem spectat, distributionem

nem

traditus severiore disciplina imbuendus. sub tanti viri curis eos fecit progressus, ut sparsa eiusdem in omnem late regionem fama multos etiam ex Imperii Optimatibus in sui admirationem pertraxerit, quorum deinde interventu donis ac muneribus ab ipsomet Caesare non semel affici promeritus est, dum interea rarae indolis juvenem *Willigisus* Archi praesul ad se propius allectum *Moguntiam* Praepositura collegii S. *Victoris* extra urbem donavit, nec non An. DCCCCXCVII. die VI. Idus Martii presbyterum inunxit: factus est postea *Vangionum* Praesul. *Gest. Abbatum Lobbiens. apud Dacher: spicileg. Tom. II. pag.* 744. *Schannat histor. Wormat. pag.* 331.

quoque & sclavos commisso prelio super fluvium *Lech* superant.

DCCXLIII. *Hunol* dux aquitaniae *ligerim* transiens *carivitis* civitatem instinctu *odilonis* diruit. eodem anno *Karlomannus* saxoniam vastauit, & *Theodericum* ducem eorum sibi subjugavit.

DCCXLIIII. *Pippinus* & *Karlomannus* aquitaniam subjugant. acceptis obsidibus a *hunoldo*, qui ipso anno monachus factus est. relicto *avaifario* filio in principatu. eodem anno iterum rebellantes saxones subitiuntur capto eorum duce *Theoderico*.

DCCXLV. Saxones iterum subjugantur, & plurimi eorum baptizantur. eodem anno *Tietbaldus* filius *Godefridi* fugatur, & tota alemannia ducatu *pippini* revocatur.

DCCXLVI. *Karlomannus* Alamanniam hostiliter ingreditur, fuitque ibi magnum miraculum, quod exercitus francorum exercitum Alemannorum comprehendit, atque ligavit absque ullo discrimine belli. eodem anno confessus est *Karlomannus* fratri suo, quod vellet monachus fieri.

DCCXLVII. *Karlomannus* adiit Limina beati *Petri* apostoli. ibique *Zacharia* Papa attonsus in clericum. consilio eiusdem Pontificis ad cenobium S. *Benedicti* in *casino monte* transmigravit ibique monachus factus est. eodem anno natus est *Carlomannus* Imperator.

DCCXLVIII. *Pippinus* cum exercitu totam pene saxoniam per dies XL. devastavit, & castella eorum destruxit, multosque ad fidem convertit.

tit. eodem anno placitum de restauratione Ecclesiarum, & querimonia pauperum in *villa duria* habuit.

DCCXLIX. *Pippinus* Baiuuariam ingressus *frisonem* fratrem suum sibi rebellem & *Landfridum* captos inde adduxit, & *Tvassilonem* filium *odilonis* in ducatu Baiuuariae restituit.

DCCL. *Burchardus* Wictziburgensis Episcopus & *folloradus* Capellanus missi ad *Zachariam* Papam renunciaverunt melius esse eum Regem & dici quivis regium teneret, quapropter *Hildricus* Rex depositus, in monasterio sancti *medardi* est attonsus. *Pipinus* vero solemniter a sancto *Bonefatio* archiepiscopo ordinatur in Regem apud *Suesionis* civitatem.

DCCLI. *Grifo* volens facere confugium ad *Haistulfum* Regem longobardorum in Alpibus interfectus est.

DCCLII. *Pippinus* Rex ivit in gotiam & triennali obsidione *Narbonam* coepit. sarracenos de tota gotia expulit *Solimam* quoque ducem Barcinonae & gerundiae subjugavit.

DCCLIII. *Pippinus* iterum subjugavit saxoniam, acceptis obsidibus, quod fidem Christi susciperent, & CCC equos singulis annis persolverent. eodem quoque anno *Stephanus* Papa venit in frantiam, petens auxilium adversus *Haistulfum* Regem Langobardorum, & in monasterio sancti *dyonisii Pippinum* & filios ejus *Karolum* & *Karlomannum* unxit in Reges francorum.

DCCLIIII. *Pippinus* Rex profectus est Italiam, & *Haistulfo* acceptis XL obsidibus justitias *Stephani*

Papae

Papae adimplevit, *Karlomannus* quoque monachus frater ejus, qui instinctu *Haistulfi* ad disturbandas justitias sancti *Petri* ab abbate suo missus fuerat, apud *Viennam* urbem obiit. eodem anno sanctus *Bonefatius* Martyrizatur.

DCCLV. *Pippinus* Rex iterum ivit Italiam recepta tertia parte thesaurorum qui erant *Papiae* a *Haistulfo* Rege. de cetero Langobardos tributarios fecit.

DCCLVI. *Haistulfus* Rex Langobardorum mortuus est, & ex consultu domini *Pippini desiderius* elevatur in Regem. *Constantinus* Imperator inter caetera donaria misit *Pippino* organum. *Tbassilo* quoque dux Baiuuariorum juravit fidelitatem domino *Pippino* in *compendio* palatio.

DCCLVII. *Pippinus* iterum saxones proterit, & ad debitum tributum recompellit.

DCCLVIII. Natus est *Pippino* filius, cui nomen suum imposuit. sed post duos annos defunctus est.

DCCLVIIII. *Pippinus* propter domesticas sui causas corrigendas nullum iter exercuit.

DCCLX. *Pippinus* aquitaniam ingressus *Bitturicas* adquisivit, totamque aquitaniam usque ad *Clarum montem* subjugavit.

DCCLXI. *Pippinus* iterum in *aquitaniam* super *Vuaifarium* profectus. & justitias Ecclesiarum franciae, quae in partibus illis erant, adimplens reversus est.

DCCLXII. *Pippinus* tertia vice aquitaniam ingressus, multa spolia inde asportavit.

DCCLXIII.

DCCLXIII. *Pippinus* quarto aquitaniam ingressus totam vastavit.

DCCLXIIII. *Pippinus* placitum habuit apud *Vuormatiam*, & utilitates regni sui tractans, nullum iter exercuit; eo anno dedit *cancor* comes *Rotgango* mettensi archiepiscopo & suis monachis monasterium, quod vocatur *Laurisca.*

DCCLXV. *Pippinus* Rex pro justitiis Ecclesiarum decernendis nullum iter exercuit, sed apud *attiniacum* conventum francorum habuit. hoc anno allata sunt corpora sanctorum *Gorgoni*, *Naboris*, *Nazari*, & posita singula a *rodegango* archiepiscopo, locis suis. hoc anno celebravit *Pippinus* Rex Natale domini, & pascha *aquisgrani* palatii.

DCCLXVI. *Vuarifarius* dux omnes civitates aquitanie destruxit, quas *Pippinus* reaedificavit, praesidiumque francorum in eis posuit. eo anno *Rotgangus* archiepiscopus obiit.

DCCLXVII. *Pippinus* Rex habuit synodum in *Salmontitiaco* altercantibus Romanis & graecis de S. Trinitate & sacris imaginibus, bisque eo anno iter in *aquitaniam* habuit, & usque *guarumnam* fluvium cuncta suae ditioni subjecit. eo anno mors *Pauli* Papae ei nunciata est.

DCCLXVIII. *Pippinus Vuaifarium* interfecit, ipse deinceps cum triumpho revertens in monasterio sancti *dionisii* defunctus. ibique a filiis *Karolo* & *Karlomanno* sepultus est. deinceps *Karolus* novi homo civltates *Karlomannus suesiones* elevantur in Reges francorum.

DCC-

DCCLXVIIII. *Karolus* Rex aquitaniam profectus, *Hunoldum*, qui *Vuaifarium* succedere voluerat in principatu, quique ob metum *Karoli* ad *Lupum Vuasconum* ducem confugium fecerat. Captum adduxit in frantiam, & celebravit natale domini in villa, quae dicitur *duria*, & pascha in *Leodio* vico publico, ubi beatus *Lantberdus* corpore quiescit. eo anno defunctus est *fulcarius*, Leodicensis Episcopus, cui successit *agilfridus*.

DCCLXX. *Karolus* Rex habuit synodum in *Vuormatia*, & *Berta* Regina mater ejus perrexit Italiam cum *desiderio* Rege colloquium habuit. civitates plurimas sancto *Petro* reddi fecit. filiam *desiderii* filio suo desponsandam adduxit.

DCCLXXI. *Karolus* Rex synodum habuit *valentianis*, *Karlomannus* frater eius defunctus est *Salmontiaco*. uxor eius cum duobus filiis & *Otgario* Marchione ad *desiderium* Regem patrem suum confugit.

DCCLXXII. *Karolus* Rex synodum habuit in *Vuormatia*, & inde primum ingressus est saxoniam & *Erisburgum* castrum coepit, & ad *ermensur* Idolum usque pervenit, ubi divina pietas tale miraculum ostendit, ut in supra dicto, ubi Idolum steterat, cum aqua exercitui deficeret, ex arido torrente fons largissimus sine pluvia medio die proflueret.

DCCLXXIII. Legati *adriani* Papae venerunt a *Karolo* Rege contra *desiderium* Regem auxilium petentes. *Karolus* profectus Italiam, *Papiam* obsidione circumdedit, ipse *Romam* porro accessit, ubi & pascha celebravit. interim saxones confinia fran-

francorum irruperunt, & multa incendia exercuerunt, ſed Eccleſiam in *fridelare*, quam ſanctus *Bonefacius* condiderat, & quam nunquam cremandam eſſe praedixerat, adhibito igne exurere non potuerunt. videbatur quippe a duobus juvenibus albis veſtibus indutis defendi.

DCCLXXIIII. *Karolus Roma* rediens *Papiam* coepit, & *deſiderium* captum cum uxore & filiis exulandum direxit in frantiam ad locum, qui dicitur *pauſatio ſancti Lantberti* Martyris. eo anno reverſus in *Engelheim*, ex quatuor partibus aggreſſus ſaxoniam, tres quidem partes pugnam inierunt & victoriam adepti ſunt. quarta ſine praelio cum multis ſpoliis rediit.

DCCLXXV. *Karolus* Rex iterum ſaxoniam ingreſſus, *Sigiburgum* caſtrum cepit, & pars una ſaxonum, qui dicitur *bosfali*, altera *agrari*, tertia *vuesfali* ſacramenta & obſides dantes ejus ſe dominio ſubdiderunt.

DCCLXXVI. *Karolus* Italiam ingreditur, *forum julii* recipit, *Rotgaudum* ſibi rebellem interficit, & omnibus proſpere diſpoſitis reverſus ſaxoniam aggreditur, nam rebellaverant, & *Eresburgum* Caſtrum deſtruxerant, & cum *Sigiburgum* ſimiliter facere vellent, apparuit manifeſta juſtitia domini; nam quacunque jacula adverſus caſtrum intentaſſent, in ipſos retorquebantur. ad ultimum apparuerunt ſupra ipſam Baſilicam duo ſcuta ingentia ignei coloris in aere, ipſam Eccleſiam defenſantes. *Karolus* acceptis ab eis multis obſidibus plurimiſque ex eis Baptizatis victor reverſus eſt.

DCC-

DCCLXXVII. *Karolus* rex habuit conventum ad *Parcsprönnam*, in qua omnes ſaxones ejus ditioni ſe ſubdiderunt, & Baptismi gratiam ſusceperunt, ſolus *Vuidecbin* cum paucis fugit ad danos.

DCCLXXVIII. *Karolus* exercitum in Hiſpaniam duxit, cujus multitudine tota Hiſpania contremuit, & captis civitatibus multis, ſarracenis fugatis, Hiſpania tota ſubacta uuasconibus & Navarris ſubjugatis victor reverſus eſt.

DCCLXXVIIII. *Karolus* conventum habuit in villa *duria*, *Hildebrandus* dux ſpolitinus cum muneribus advenit; *Karolus* iterum ſaxones inſtinctu *Vuidichin* rebellantes aggreditur, multis obſidibus ab eis acceptis revertitur.

DCCLXXX. *Karolus* iterum ingreditur ſaxoniam, uſque *alviam* peraccedit, diviſitque ipſam Patriam inter Epiſcopos & presbyteros ſeu & abbates, ut in ea Baptizarent, & predicarent, nec non ut & vunidorum, ſeu & friſonum & Nordleudorum multitudo credidit. eodem anno *Karolus* Rex profectus eſt *Romam*, ubi & paſcha celebravit, ibique filius ejus *Pippinus* ab *Adriano* Papa Baptizatus, & de ſacro fonte eſt ſusceptus; poſtea vero in Regem Italiae eſt unctus. *Lodovicus* frater eius in Regem aquitaniae ab eodem Pontifice.

DCCLXXXI. *Karolus* Rex *Roma* rediit, & filia ejus *gisla* a *Thoma* mediolanenſi archiepiſcopo Baptizata, ab eodem de ſacro fonte ſuſcepta eſt.

DCC-

DCCLXXXII. *Karolus* conventum habuit juxta *Lippiae* fontem. ſaxones ſupplices ad eum convenerunt, quatuor millia captos viros, qui eodem anno miſſos eius interfecerant, regi puniendos tradiderunt.

DCCLXXXIII. *Hildigardis* Regina obiit, *Fuſtradam* ſibi Rex in conjugium ſociavit, ſaxones rebelles bis eo anno protriti ſunt, & multa millia interfecta. *Berta* Regina mater Regis defuncta eſt, & ſepulta in monaſterio *beati Dyoniſii* juxta *Pippinum* conjugem ſuum.

DCCLXXXIIII. More ſolito iterum ſaxones rebelles extiterunt, & de eis bis triumphatum eſt.

DCCLXXXV. *Vuittingus* cum multis ſaxonibus ad *adtiniacum* villam venit in praeſentia Regis, ibique Baptizati ſunt, ſicque tota ſaxonia in ditione francorum redacta eſt.

DCCLXXXVI. Brittones vectigales fiunt, & tota Brittannia francorum ditioni ſubjicitur, & *Karolus* Rex *Romam* proficiſcitur.

DCCLXXXVII. *Beneventum* ſubjugatur, & *Karolus* Rex *Roma* reverſus conduxit Exercitum in Baiuuariam per tres partes ingreſſus, & ſuperatis omnibus, & obſidibus acceptis reverſus eſt. eo anno defunctus eſt *agilfridus* Leodicenſium Epiſcopus, cui ſucceſſit *gerboldus*.

DCCLXXXVIII. *Thaſſilo* dux Baiuuariorum convictus & confeſſus regiae poteſtatis reus in *Hengelheim* Capitali ſententia dignus judicatur, ſed Clementia regis vita ei conceditur, & cum filio *Theodono* in clericum conſecratur, quater eo an-

no

no triumphatum eſt de gente avarorum, id eſt hunorum.

DCCLXXXVIIII. *Karolus* Rex duxit exercitum in partibus ſclavorum, ubi multas gentes ſclavorum ſubjugavit.

DCCXC. *Karolus* Rex a ſclavis reverſus utilitates regni ſui disponens nuſquam eo anno duxit exercitum.

DCCXCI. *Karolus* venit ad *Regnesburg*, deinde cum magno exercitu avaros aggreſſus, victoriam conſecutus eſt.

DCCXCII. *Karolus* Rex paſcha in *Regnesburg* celebravit, ubi & felitiana haereſis primo condempnata eſt. qui *felitianus* per *bengelbertum* abbatem *adriano* Papa *Romae* praeſentatus, iterum condempnatus eſt.

DCCXCIII. Legati *adriani* Papae cum magnis muneribus regi praeſentati ſunt. tunc nuntiatum eſt regi ſaxones a fide defeciſſe, apud ſanctum *Chilianum* in *Vuirzenburg* natale domini celebranti.

DCCXCIIII. *Karolus* Rex ſynodum magnum habuit in *franconofort*, ſcilicet Epiſcoporum galliae & germaniae & Italiae ubi tertio condempnata eſt hereſis felitiana, ubi & affuerunt Legati *adriani* Papae. id eſt. *Theophilactus* & *Stephanus* Epiſcopi.

DCCXCV. *Karolus* Rex ſaxones ex magna parte afflixit, terras devaſtavit, & obſidibus acceptis reverſus eſt.

DCCXCVI. *Adrianus* Papa obiit, cui *Leo* ſucceſſit, qui cum multis muneribus claves etiam con-

confeſſionis ſancti *Petri* & vexillum Romanae urbis *Karolo* direxit. eodem anno *Heinricus* dux foriiulienſis Pannonias ſpoliavit, & theſaurum priscorum regum multa ſaeculorum prolixitate collectum ad *aquis Palatium Karolo* Regi miſſit, qui partem ejus per *angelbertum Romae* ſanctorum Locis direxit. partem per reliquas Eccleſias regnorum ſuorum, partem quoque pauperibus, partem reliquam fidelibus ſuis diſtribuit. eo anno *Thudon*, qui partem maximam Hunnorum regebat, Regi ſe cum populo ſuo ſubdidit, & Baptizati ſunt. Rex vero *Pippinum* filium ſuum in Pannonias direxit, qui omnibus depopulatis cum reliquo Theſauro reverſus eſt.

DCCXCVII. *Adella* Rex ſaracennorum ſe Regi ſubdidit. Legati quoque Imperatoris conſtantinopolitanis ad Regem venerunt, pro concordia inter graecos & francos ſtabilienda. Rex *adellam* ſarzacenum cum filio ſuo *Ludouuico* ad Iſſpanias reverti fecit, *Pippinum* ad diſponendam Italiam miſit, ipſe in ſaxonia hyemavit.

DCCXCVIII. Venerunt Legati *Hadefonſi* Regis galitiae & aſturiae Papilionem mire pulchritudinis praeſentantes, qui *Eliſipona* ultima civitate Iſpaniae depraedata inſignia victoriae id eſt Loricas multas, & mauros captivos & mulos *Karolo* Regi miſit. *Michael* patritius frigiae & *Theophilus* presbiter epiſtolam *herenae* Imperatricis detulerunt, pro pace inter graecos & francos confirmanda.

DCCXC-

DCCXCVIIII. Romani *Leonem* Pontificem excecaverunt, qui fuga lapſus in loco, qui dicitur *paresbronna*, ad Regem venit. eodem anno Legatus *Michaelis* Imperatoris venit, & cum honore dimiſſus eſt. gens avarorum a fide defecit, & *Heinricus* dux foro julienſis & *geroldus* praefectus Alamanniae & Baiuuariae ab eis interfecti ſunt. Brittania per *Vuidonem* comitem iterum in deditionem accepta, Baleares Inſulae a noſtris defenſae & receptae, & mauri inde fugati ſunt. Patriarcha Hieroſolymitanus monachum quendam cum reliquiis de ſepulchro domini ad Regem direxit.

DCCC. Rex Hieroſolimitanum monachum remiſit, cum quo & *Zachariam* presbiterum cum multis donariis direxit. Rex Italiam ingreſſus *Romam* acceſſit, *Leonem* Papam ſedi ſuae reſtituit, ubi & *Zacharias* presbiter cum duobus monachis a *Hieroſolimis* reverſus. Claves dominici ſepulchri ac calvariae loci, claves etiam civitatis & montis *Syon* cum vexillo detulit.

DCCCI. *Karolus* Rex ante confeſſionem beati *Petri* ipſo die natalis domini ad miſſam a *Leone* Papa coronam Imperialem ſuſcepit, & a cuncto Romano populo Imperator & auguſtus appellatus eſt, & diſpoſitis pro quibus venerat tam Romaniae, quam totius Italiae publicis, & Eccleſiaſticis reverſus eſt.

Eodem anno terrae motus magnus extitit, quo tectum Baſilicae beati *Pauli* apoſtoli corruit, in germania quoque & gallia quaedam loca propter Rhenum tremuerunt, & peſtilentia magna homi-

num & pecorum propter molitiem hyemis extitit.

DCCCII. *Hierenae* Imperatrix misit Legatum de confirmanda pace, remisit vicissim *Karolus* Imperator *Iesse* ambianensem Episcopum & *Hilgaudum* comitem, ut idem inter graecos & francos statuerent.

Eodem anno *Isaac* Iudaeus reversus est a rege Persarum cum magnis muneribus, & elephante, cui nomen erat *abulabaz*.

DCCCIII. Venerunt Legati *Nicophori* Imperatoris, qui eodem anno factus fuerat Imperator deposita *Hirene*. venit quoque *fortunatus* patriarcha de gretia, afferens inter caetera donaria duas portas eburneas mirifico opere sculptas.

Eo anno pannonia cum finitimis regnis sub ditione Imperatoris redacta est.

DCCCIIII. Imperator saxoniam ingressus & sclavorum causas discussit, & Regem illis praefecit, & saxonum quosque & maxime eos, qui in *Quuigmoti* commorabant, & frequentibus maleficiis populum saxonum a via veritatis avertebant, per divisas galliae partes ad habitandum dispersit.

Eodem anno *Leo* Papa a *Roma* venit, cui Imperator *Rhemis* cum laetitia occurrit.

DCCCV. Imperator expeditionem in *Beheim* per tres turmas direxit, cui *Karolum* filium suum praefecit. qui vastata omni regione & omnibus subactis interfecto Rege eorum, cum gaudio reversus est. Eodem anno *Gaganus* Princeps Hunorum, quia propter infestationem sclavorum in pristinis sedibus esse non poterat, petiit ab Imperatore,

ratore, ut ſibi cum populo ſuo locus ad habitandum inter *Sabariam* & *Carivintum* daretur, quod & impetravit.

DCCCVI. facta eſt a domino *Karolo* Imperatore ordinatio de ducibus tam venetiae, quam dalmatiae. deinde conventu omnium fidelium ſuorum habito diviſit omnia regna ſibi a deo tradita inter tres filios ſuos, *Karolum*, *Pippinum* & *Ludovicum*, quod & ſcripto mandavit, & roborandum omnibus fidelibus ſuis tradidit, ſed & Papa *Leoni* confirmandum *Romam* direxit.

DCCCVII. Natus eſt Imperatori filius nomine *Theodericus.* Legatus Regis Perſarum nomine *abdella* cum monachis, qui de *Hieruſalem* legatione *Thomae* Patriarchae fungebantur, quorum nomina fuere. *Georgius* & *felix.* hic *georgius* eſt abba in monte oliveti, & cui Patria eſt germania, qui etiam proprio vocatur nomine *Etgibaldus*, ad Imperatorem venerunt, munera deferentes, quae praedictus Imperatori miſerat. id eſt Papilionem & tentoria vario colore facta, mirae magnitudinis & pulchritudinis; erant enim Byſſina tam tentoria, quam & funes eorum, diverſis tincta coloribus fuerunt; praterea munera praefati Regis pallia ſerica multa & pretioſa, & odores atque unguenta & Balſamum. nec non & orologium ex auricalco arte mechanica mirifice compoſitum, in quo duodecim horarum curſus ad clepſidram vertebatur, cum totidem areis pilulis, quae ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo ſubjectum ſibi cymballum tinire facie-

 bant,

bant, additis in eodem eiusdem nnmeri equitibus, qui per duodecim feneſtras, qui prius erant apartae, claudebant, nec non & alia multa erant in ipſo horologio, quae nunc enumerare longum eſt. fuerunt praeterea inter praedicta munera candelabra duo ex auricalco mirae magnitudinis & proceritatis, quae omnia *aquis palatio* ad Imperatorem delata ſunt.

DCCCVIII. Hyems molliſſima atque peſtilens fuit, & dominus Imperator filium ſuum *Karolum* cum exercitu in partes ſclavorum direxit, qui *godofridi* Regis danorum conatibus reſiſteret; eodem anno *Hardulfus* Rex Nordanenbrorum pulſus regno & patria per Legatos Romani Pontificis id eſt. *Leonis*, & per auxilium domini Imperatoris regno ſuo reſtituitur.

DCCCVIIII. Imperator concilium habuit de proceſſione ſancti ſpiritus, quam quaeſtionem *Johannes* quidam monachus *hierofolimis* primo commovit, cujus definiendae cauſa *Bernharnius* Episcopus Vuormatienſis & *Adelhardus* abba monaſterii *Corbeiae Romam* ad *Leonem* Papam miſſi ſunt.

DCCCX. *Pippinus* Rex *Italiae* perfidia ducum veneticorum incitatus *venetiam* bello terra marique juſſit appetere, ſubjectaque *vinetia* a ducibus eius in deditionem acceptis eadem claſſem ad littora dalmatiae vaſtanda direxit, qui & eodem anno defunctus eſt. *Godefridus* quoque danorum Rex a quodam ſatellite ſuo interfectus eſt.

Duas Legationes eo anno Imperator pro pace confirmanda ſuſcepit, unam de *corduba* Regis *Hiſpaniae*, alteram *Nicofori* Imperatoris, *gerbal-*

dus

dus Leodicensium Episcopus obiit, cui *Vualcaudus* successit.

DCCCXI. Dominus Imperator consensu filiorum suorum *Karoli* & *Ludouuici Bernhardum* filium *Pippini* Regem Italiae pro patre suo restituit.

DCCCXII. *Karolus* primogenitus domini Imperatoris dolore capitis ab oculis effectus est. deinde ipso anno cum luctu omnium defunctus est.

DCCCXIII. *Karolus* Imperator voto & electione omnium fidelium suorum filium suum *Ludovicum* Regem *aquitaniae* consortem Imperii fecit, & post se sceptra Imperii regenda mandavit, statimque eum in aquitaniam remisit, ut deinceps, quod reliquum vitae superesset, orationi & helemosynis, Librisque corrigendis sollicitius impenderet.

DCCCXIIII. *Karolus* Imperator *aquis grani palatii* post assuetum balneum valida febri correptus decubuit, septimo die sacra communione percepta decessit. anno aetatis suae LXXII. regni XLVII. V. Kalend. februarii hora diei tertia. sepultus in Ecclesia aquensi.

DCCCXV. *Ludouuicus* Imperator rediens ab aquitania Imperium patris integre possedit, & thesauros omnes & suppellectilem illius, ut in descriptione testamenti, quod ante triennium pater ejus fecerat, invenit sine cunctatione distribuit.

DCCCXVI. Legati regnorum & provinciarum, quae Pater eius tenuerat, ad eum *aquis grani palatii* venerunt, eius se ditioni & dominio subdentes.

DCCCXVII. Iuſſit *Ludovicus* Imperator renovari omnia praecepta & conceſſiones patrum ſuorum, & ipſe manu propria reſignavit. venerunt etiam Legati Beneventorum eius ſe dominio ſubdentes, multa millia aureorum per annos ſingulos ſe promittentes perſolvere.

DCCCXVIII. Venit *Bernardus* filius fratris ejus *Pippini*, & fidelitatem cum tota *Italia* partibus Imperatoris juravit.

DCCCXVIIII. Miſit *Ludovicus* Imperator diligenter inveſtigare per omnia regna ſua, ne aut imbecillior a potentiore, aut pauperior a divite tam in publicis, quam in Eccleſiaſticis opprimeretur, mittens unicuique provinciae archiepiſcopum unum, comites plures.

DCCCXX. habuit *Ludovicus* Imperator generale placitum in partibus ſaxoniae, ubi dani pacem poſtularunt. & expeditio in ſclavos directa eſt.

DCCCXXI. *Leo* Papa defunctus eſt, cui *Stephanus* ſucceſſit, qui & eodem anno frantiam venit, & in remenſi urbe exceptus honorifice, dominum *Ludouuicum* in Imperatorem denuo conſecravit.

DCCCXXII. *Stephanus* Papa obiit, & quibusdam miraculis poſt obitum claruit, cui *pascalis* papa ſucceſſit.

DCCCXXIII. *Ludovicus* Imperator *Lotharium* primogenitum ſuum filium conſortem Imperii fecit, indignantibus caeteris filiis ejus. eodem anno rebellavit *Bernardus* Rex *Italiae*.

DCCC-

DCCCXXIIII. *Ludovicus* Imperator venit in Burgundiam *cauillonis*, ibique *Bernardum* custodiae mancipavit. domestici domini Imperatoris absque scientia ipsius eum exacecaverunt. Episcopi depositi, Laici condempnati, qui pariter conspiraverant.

DCCCXXV. *Ludovicus* Imperator fratres suos de concubinis *drogonem*, *Hugonem* in clericos totondit, quibus liberalibus disciplinis imbutis, *drogoni* dedit Episcopium mettensem, *Hugoni* cenobia sancti *quintini* & Laubiense, & plura alia.

DCCCXXVI. Imperator abiit in Brittaniam, ducem eorum *Marcomannum* interfecit, gentem illam suo Imperio subjugavit.

DCCCXXVIII. expeditione facta contra orientales, saxones & sclavos. omnis terra eorum vastata est & subjugata.

DCCCXXVIIII. *Lotharius* Imperator accepit in conjugium filiam *Hugonis* superbissimi comitis, de qua genuit *Lotharium*, postea excommunicatum, & *Ludovicum* postea Imperatorem, & *Karolum*.

DCCCXXX. *Ludovicus* Imperator habuit generale placitum *atiniaco*, ibique *Lothario* dedit Regnum *Italiae*.

DCCCXXXI. misit Imperator Legatos *Roma* ad *Elongum* & *Hunfridem* ducem, in quorum praesentia de objectis purificavit se *paschalis* Papa, qui eodem anno obiit. cui *Eugenius* succeffit. Imperator iterum *Brittaniam* vastavit; eodem anno

 obiit

obiit *Vualandus* Episcopus Leodicensis, cui successit *Erardus*.

DCCCXXXII. Legati vulgarorum cum muneribus venerunt, & *Heroldus* rex danorum cum uxore Baptizatus est ab Imperatore & Imperatrice.

Eodem anno pugnatum est cum sarracenis & triumphatum.

DCCCXXXIII. *Ludovicus* Imperator dedit *Karolo* ex *Iudith* nato alamanniam, Rhetiam, & partem burgundiae, indignantibus *Lothario*, *Ludovico* & *Pippino*.

DCCCXXXIIII. *Pippinus* venit *compendio palatio* ad patrem dolose, voluitque eum a regno expellere.

Eodem anno *Ludovicus* Imperator a filio suo *Lothario* sacramentum fidelitatis exegit.

DCCCXXXV. *Ludovicus* Imperator abiit obviam filiis suis dolose ad se venientibus in *campo magno*, qui est inter *argentinam* & *Basileam*, sed nihil horum, quae petebant, concessit. adfuit illic *gregorius* Papa munerans Imperatorem remunerandus ab ipso.

DCCCXXXVI. *Iudith* Imperatrix vi velata a privignis custodienda dirigitur ad *Ertonam Italiae* civitatem. *Ludovicus* Imperator comprehenditur, & *Pippino* discedente in aquitania, *Ludovico* in Baiuuaria a *Lothario* in *aquas* usque deducitur, ibique reclauditur.

DCCCXXXVII. *Lotharius* timore fratris *Ludovici* ad *compendium* cum patre devertit, quem insecu-

insecutus *Ludovicus* cum *drogone* mettensi Episcopo & caeteris fidelibus fugam inire compulit, & patrem *aquis* reductum in sede sua restituit, *Ebbonem* degradatorem eius remensem Episcopum custodiae mancipavit.

DCCCXXXVIII. *Ludovicus* Imperator conjugem suam recepit, *Lothario* filio indulsit, sacramento ab eo accepto, ut Italiam iret. nec inde superstite se ulterius rediret. *Pippinus* obiit.

DCCCXXXVIIII. *Ludovicus* Imperator quod reliquum vitae sibi supersedit, divinis cultibus mancipavit, utilitati Ecclesiarum, justitiis pauperum, commodis regnornm suorum curam indulgens.

DCCCXL. *Ludovicus* Imperator pius & pacificus obiit XII. Kalend. Iulii, sepultus in Ecclesia *mettis*.

DCCCXLI. defuncto *Ludovico* Imperatore reversus *Lotharius* ab Italia, *Pippinus* filius *Pippini* ab aquitania filii *Hildegardis* voluerunt *Karolum* filium *judith* privare, ex ea parte, quam sibi concesserat Pater, & secundum id testamentum.

Karolus avus eorum fecerat Patri & patruus eorum per tres portiones inter se regna dividere; qua propter, apud *autisio* oliorensem pagum in Loco, qui dicitur *fontanith*, grave praelium commissum est, inter eos, quod in toto orbe terrarum pertonuit, & magna strage pugnatum & a neutra parte triumphatum, tandem pacificati per quatuor tetarchias regna dividunt.

DCCC-

DCCCXLII. *Erardus* Leodicensium Episcopus obiit, cui *Harcharius* succedit.

DCCCXLIII. —

DCCCXLVIIII. bellum fuit inter *Pippinum* filium *Pippini* & *Karolum.*

DCCCL. *Canda* oppidum vastatum est a Normannis.

DCCCLII. *Harcharius* Episcopus Leodicensis obiit: cui *franco* successit.

DCCCLV. *Lotharius* Imperator, qui mutato habitu *prumiae* *monachus factus fuerat, obiit III Kalend octob. cui Equivocus filius suus *Lotharius* successerat, qui eo anno *Tietbergam* sororem *hucberti* abbatis duxit uxorem.

DCCCLVIII. *Lotharius* Rex contra *hucbertum* cognatum suum duxit exercitum in Burgundiam, & *Ludovicus* adversus *Karolum* fratrem suum.

DCCCLXIIII. hic depositi sunt *Tietgaudus* treverorum, & *gontharius* coloniensium archiepiscopi a *Nicolao* Papa, eoquod communicaverant *Lothario* pro relicta uxore *tietberga* excommunicato.

DCCCLXX. *Lotharius*, sicut jam supra dictum est, relicta uxore Legitima nomine *Tietberga*, sorore *Hucberti* abbatis, *Vulradam* superduxerat. pro qua re *franco* Episcopus Romano Papae Legatos suos direxerat. id est. *Bericonem* clericum Leodicensem, & *Thietherum* monachum Laubiensem, quos & ordinari Episcopos ad vices suas supplendas petiit, ut quia ipse multa bella contra Nortmannos egerat, vices eius applerent.

Lotha-

Lotharius vero *Romam* vocatus & excommunicatus in *Placentia* reversus diem clausit extremam.

DCCCLXXIIII. *Karolus* Rex *Andegavis* civitate Nortmannos obsedit, sed pessimorum consilio acceptis obsidibus inlaesos abire permisit, in illis etiam diebus plaga locustarum est facta.

DCCCLXXV. *Ludovicus* filius *Lotharii* Imperator frater *Lotharii* excommunicati. Imperator obiit, *Karolusque* Rex *Italiam* perrexit, & pars maximae multitudinis eiusdem provintiae eum cum pace accepit. sed *Karlomannus* nepos ejus cum exercitu veniens iter illius inquietare conatus est, sed nuntiis intervenientibus ad colloquium mutuum devenerunt, & pace inter eos acta *Karlomannus* reversus est in teram suam, *Karolus* iter, quod arripuerat, protendere studuit, donec *Romam* ad Limina beati *Petri* pervenit, ibique a *Ioanne* Papa honorifice susceptus est.

DCCCLXXVI. *Karolus* Rex die nativitatis domini nostri a praedicto *Ioanne* Papa benedictionem Imperialem accepit, multisque muneribus sanctum *Petrum* honoravit, & praedictum Papam, atque dehinc benedictione apostolica percepta remeavit in frantiam. mortuo dehinc *Ludovico* fratrem suo pessimo usus consilio regnum ipsius, quod suis filiis pater reliquit, invasit, *aquisgrani palatium* cum multitudine venit, sed non ita, ut debuit. Inde *Coloniam* perexit & *Ludovicus* nepos ejus ad eum Legatos misit pacis gratia, sed quod petiere, non impetrantes, ad eum, a quo missi sunt, rediere. unde instinctu diabolico utrique

Karo-

Karolus Imperator & *Ludovicus* Rex bellum inter ſe mandavere, *andrenacumque* devenerunt, & Iuditio domini ceſſit victoria *Ludovico*, multique franci Nobiles ibi capti atque interempti ſunt. Et *Karolus* Imperator in defugiendo rediit in regnum ſuum. actum eſt hoc praelium non. octob. indict. X. interim dum haec aguntur, dani ſeu Nortmanni piraticam exercentes *ſequanam* ingreſſi incendiis & occiſione regnum francorum crudeliter devaſtant, contra quos *Karolus* exercitum dirigit, ſed nil utiliter egere. unde de redemptione regni cogitare coepit.

DCCCLXXVII. miſitque Legatos, qui cum Nortmannis tractarent, ut munerati e regno ejus abirent, & facta pactione ſpoliantur Eccleſiae, & per omne regnum ad hoc tributum datur, ut ab hac liberarentur clade, & dum in his principes regni occuparentur, *Karolus* Imperator ad hoc negotium perficiendum *Ludovicum* filium ſuum delegit, in regno cum ſuis primoribus relinquendum, & iterum iter parat, quo *Italiam* pergeret, & inde ad Limina apoſtolorum contra voluntatem, denique ſuorum cum conjuge *Italiam* ingreſſus eſt, iterumque *Papiae* civitati *Joannes* Papa ei occurrit, ibique ſe mutuo ſalutaverunt. at hi, qui in frantia remanſerant, dato tributo danos e regno abire coegerunt. & dum dominus apoſtolicus & Imperator *Papiae* civitati eſſent, ſubito eis nuntiatur, *Karlomannum* Imperatori cum manu valida ſupervenire. unde commotus Imperator videns non habere, unde ei reſiſteret, praedicto Papae

Papae munera, quae de ſancto deportabat *Petro*, dedit. inter quae crucifixum aureum, quale non fuit ab ullis regibus factum. ipſe vero per alpes provintiae in frantiam repedare voluit. ſed, ut dicitur, a quodam *ſedechia* judeo potionatus in loco, qui dicitur *Mantua*, intra alpes poſito II. non. octob. indict. XI. anno aetatis ſuae LIIII regni vero XXXVII, Imperii vero II. vitam finivit praeſentem, corpus vero eius in eodem regno in loculo repoſuerunt, donec transferreretur in frantiam, quod poſtea per diverſa loca translatum eſt. franci vero menſe decembri *Compendio palatio* adunati, *Ludovicum* filium ejus in regnum ſtatuunt.

DCCCLXXVIII. *Johannes* Papa ab *Lantberto* duce ſpolitanorum injuriatus frantiam venit, eiusque adventus *Ludovico* regi nunciatur, qui tunc morabatur circa *Ligerem* propter normannos, qui feſtinanter *trecas* civitati ei occurrit, mutuoque ſe ſalutaverunt. tum ibi *incmarus* Laudunenſium Epiſcopus, qui *abbaſone* fuerat excaecatus coram ipſo Papa, atque omnibus gallicanorum Epiſcopis de omnibus, quibus olim fuerat damnatus inculpabilem reddidit, atque jubente apoſtolico miſſas celebravit, ibi etiam *Bernhardus* dux auguſtodunenſium de infidelitate convincitur. Rex etiam, atque omnes Principes multis honoribus honoraverunt dominum apoſtolicum, & ſocium itineris eius. *Boſonem* delegerunt uſque Italiam. *Ludovicus* etiam Rex filius *Ludovici* Legatos miſit ad *Ludovicum* Regem, ut ſibi *Ariſtallio* occurreret pacis gratia, qui feſtine ad locum denominatum veni-

veniens, mutuo ſe ſalutaverunt, pacemque firmiſſimam inter ſe fecerunt; actum eſt hoc menſe octobri, ipſoque menſe fere mediante eclypſis ſolis facta eſt hora diei octava indict. XII.

DCCCLXXVIIII. Moritur *Balduinus* comes, ſepeliturque *ſitbid'* monaſterio. *Ludovicus* etiam Rex graviter infirmatur, & die ſancto paraſceven anno aetatis ſuae circiter XXXIIII. indict. XII diem clauſit extremum, ſepeliturque in Eccleſia beatae dei genitricis *Mariae*, qua eius pater regio cultu *compendio* ſuo in palatio conſtruxerat. poſt vero eius obitum miſerabilis & excidioſa inter francos orta eſt diſſenſio. nam *Hugo* abba, memor fidelitatis, quam promiſit *Ludovico* Regi ſuo, videlicet conſobrino, filios eius *Ludovicum* & *Karlomannum* in paterno regno cum ſibi conſentientibus ſtatuere volebat. *Gozlinus* vero abba *Chuonradus* comes, multique alii eis conſentientibus ſupradictum Regem *Ludovicum* in regno advocarunt. his denique inter ſe diſcordantibus Nortmanni ultra mare poſiti eorum audientes diſcordiam navali evectione cum infinita multitudine mare tranſito *tarvennam* urbem morinorum mediante etiam *ſevilio* igne & gladio vaſtaverunt nemine ſibi reſiſtente, videnteſque initia ſuorum proſpere accidiſſe, omnem terram menapiorum perambulando ferro & igne vaſtant. poſt haec *Scaldum* fluvium intrant, & omnem Bracbantiſiorum terram incendio & ferro delent, contra quos *Hugo* filius *Lotharii* Regis arma ſumens inconſulte non mediocrem eis intulit audaciam. nam nihil

pros-

profpere & utile, verum & turpiter inde aufugit, interfectis atque captis quam plurimis e fuis fociis, inter quos etiam *abba* filius *atbalardi* Captus eft, & dum haec aguntur, *Hugo* abba *Valtberum* arelianenfium Epifcopum mifit, obfecrans *Ludovico* Regi, ut partem regni *Lotbarii*, quam fuus genitor *Karolus* inter fe dividendo regnum conceffit, acciperet & abiret in regnum fuum, & pacem fuis fineret habere confobrinis, quod ille audiens, recepta parte regni abiit in terram fuam; *Hugo Ludovicum* & *Karlomannum* per manus *anfegifi* Archiepifcopi benedici fecit in Reges. per idem tempus menfe feptembri natus eft *Karolus*, frater illorum, Nortmanni vero non ceffant devaftari Ecclefiam, populumque Chriftianum, interfici, & Captivari. *Bofo* etiam dux provintiae per tirannidem nomen Regis fibi vindicat, partemque Burgundiae occupat. Sed Nortmanni incendiis & devaftationibus inhiantes, fanguinemque humanum fitientes ad interitum, & perditionem regni. menfe novembri corpus fancti *vedafti* vallis fuper *Sunnam* in villa fua defertur, in *gandavo* monafterio fedem fibi ad hic humandum elegit. *Ragnelmus* tornacenfium Epifcopus moritur indict. XIII.

DCCCLXXX. Nortmanni vero *Tornacam* civitatem & omnia monafteria fupra *Scaldum* ferro & igne devaftant, interfectis accolis terrae atque Captivatis. *Gozlinus* vero & *Cbuonradus* eorumque complices egre ferentes de amicitia *Hugonis* abbatis, fuorumque dominorum cum *Ludovico* ite-

rum eum faciunt venire in frantiam. Contra quem *Hugo* abba cum ſociis & dominis & copioſo exercitu venire non diſtulit, apudque monaſterium ſancti *quintini* reſiderent. *Ludovicus* vero Rex & eius exercitus ſupra fluvium *Heſa*, & nuntiis intercurrentibus praedicti Regis in unum conveniunt, & pacis foedera inter ſe procurante *Hugone* abbate firmant, regratiatis his, qui a ſe diſciverant. Actum eſt hoc menſe februario poſt haec *Ludovicus* parat redire in regnum ſuum, occurritque Nortmannis a praeda revertentibus; & facta congreſſione apud *Timiomum* nobiliter eos viciſſet, niſi contigiſſet, *Hugonem* filium ſuum ibi ruere. nam *Godefridus* Rex danorum illum interfecit. quo mortuo omiſit Rex illos inſequi. multi quoque nobiles illius gentis ibi corruerunt. Caeteri, qui evaſere, rediere ad caſtra ſua, *Hugo* quoque abbas fuit in illo praelio, hoc modo *Ludovico* ad ſua reverſo, *Ludovicus* & *Karlomannus* reges *ambianis* cum ſuis fidelibus veniunt, ibique frantiam inter eos dividunt, dataque eſt pars frantiae, & omnis Neuſtria *Ludovico*. *Karlomanno* vero aquitania & pars Burgundiae, nec non & gothia, & inde unusquisque ivit in ſua. poſthaec *Ludovicus* Rex dirigit *Henricum* quemdam de ſuis principibus, qui pergeret cum *Ludovico* & *Karlomanno* contra *Baſonem* Tyrannum in ipſo etiam itinere *Heinricus Teutbaldum* filium *bucberti* gravi devicit praelio, *Ludovicus* vero *Gozlinum* cum aliis multis ad tuitionem regni contra Nortmannos dirigit, ipſe vero & frater eius cum re-

liquo

liquo exercitu Burgundiam petentes civitates, quas Tyrannus invaſerat, receperunt, ſociatoque ſibi *Karolo* rege fratrem *Ludovici Boſonem* in *vienna* civitate incluſerunt, pacemque ei obtulerunt, quam ille renuit ſuſcipere. circumdata itaque urbe ille ſe firmiſſime intus munivit. unde Epiſcopi conſilio regum & principum eum perpetuo dampnavere anathemate. *Karolus* vero Rex de nocte conſurgens ignorantibus *Ludovico* & *Karolomanno* igne ſua caſtra concremavit, atque ita revertitur in ſua. Hoc etiam tempore obiit *Karlomannus* Rex frater *Caroli*, & *Ludovici*, hi vero, qui *viennam* obſederant, videntes nil inimicis poſſe, accepto conſilio rediere in ſua. *Gozlinus* vero abba, & exercitus, qui cum eo erat, ſtatuunt nortmannos bellum inferre, mittuntque ad eos, qui trans *Scaldum* erant, ut die ſtatuta venientes hi ex una parte fluminis, hique ex alia eosque delerent. Sed non pervenit ita, ut voluerunt. nam non ſolum nil proſpere egerunt, verum turpiter fugiendo vix evaſere captis ſuorum plurimis & occiſis. timor quoque & tremor eorum cecidit ſuper inhabitantes terram, & hac elati victoria die noctuque non ceſſant Eccleſias igne cremari, populum Chriſtianum jugulari, tunc omnes intra *Scaldum* & *ſunnam*, atque trans *Scaldum* monachi, canonici ſancti moniales corporibus ſanctorum, & omnis aetas & conditio fuga ineunt. Ipſi enim dani nemini, nec etiam aetati parcebant, ſed omnia ferro & igne devaſtant. *Gozlinus* vero & hi, qui cum eo erant, videntes non poſſe eos reſiſtere,

 men-

mense octobri intrante dimisso exercitu rediit unusquisque in sua. Nortmanni vero se dani sedem mutaverunt, & mense novembri *Curtriaco* sibi castrum ad hyemandum construunt, indeque Menapios atque suevos usque ad internetionem delevere, quia valde illis infesti erant, omnemque terram vorax flamma consumpsit. *Ludovicus* vero Rex rediit in frantiam, diemque nativitatis domini egit celebrem in *compendio palatio*.

DCCCLXXXI. Nordmanni vero cum infinita multitudine monasterium nostrum ingressi VII. Kalend. Ianuar. ipsum monasterium & civitatem exceptis Ecclesiis, & vicum monasterii, & omnes villas in circuitu V. Kalend. januar. interfectis omnibus, quos invenire poterant, igne cremaverunt, omnemque terram usque ad *Sunnam* pervagati sunt. capta praeda infinita hominum, pecudum & Iumentorum. indeque eiusdem V. Kalend. Ianuar. *Cameracum* ingressi, incendiis & occisionibus tam civitatem, quam monasterium sancti *gaugerici* vastantes, atque infinita praeda ad castra sua reversi omnia monasteria supra *biscar* fluvium devastant, fugatis atque interfectis habitatoribus, & circa purificationem sanctae *Mariae* iterum moventes per *tarvennam* iter arripientes usque *Centula* monasterium sancti *Richarii* & sancti *Vualerici* omnia loca circa mare, monasteria & vicos. indeque *ambianis* civitatem atque *corbetiam* monasterium petentes, multisque onusti praedis, sani & sine impedimento ad propria repedavere castra; Iterum circa solempnitatem sancti *Petri atrebatis* venerunt, omnesque, quos ibique

que reperere, interfecere, & circuita omni terra ferro & igne cuncta vaſtantes ſani revertuntur ad caſtra. Interim *Ludovicus* Rex gravi dolore contriſtatur videns regnum deleri, convocato exercitu praeparat ſe ad praelium; at Nortmanni omnia proſpera agentes cum magno exercitu fluvium *Sunnam* menſe julio tranſeunt, cuncta vaſtantes more ſolito uſque prope civitatem *Belvagorum*. *Ludovicus* vero Rex cum exercitu tranſiens *Hiſam* fluvium, latuerunt, tendere caepit, quo credebat nortmannos redire, miſſis itaque exploratoribus nuntiant redire eos onuſtos a praeda, contra quos ire rex perexit, obviavitque eos in pago *Vuitman* in villa, quae dicebatur *Satbulcurtis*, & commiſſum eſt praelium, moxque Nortmanni fugam ineunt, atque ad dictam villam deveniunt, quos Rex inſecutus eſt, glorioſiſſimeque de eis triumphavit, & patrata victoria ex parte coeperunt gloriari ſuis hoc actum viribus, & non dederunt gloriam deo, paucique nortmanni ex dicta villa egreſſi, omnem exercitum vertit in fugam, pluresque ex eis videlicet uſque ad C homines interfecerunt, & niſi Rex citius equo aſcendens locum reſiſtendi, & audaciam ſuis donaret, omnes turpiter ex eodem loco fugiendo abirent. hac vero patrata victoria, quia multos contigit ibi ruere nortmannos, Rex ovans repedavit trans *Hiſam* perpauci vero dani, qui evaſere, interitum ſuorum nunciaverunt in caſtra, indeque Nortmanni *Ludovicum* Regem adoleſcentem timere coeperunt; Rex quoque adunato exercitu in pago cameracenſium venit, caſtrumque ſibi

 ſtatuit

ſtatuit in loco, qui dicitur *Strum* ad debellationem danorum.

Nortmanni hoc cognoſcentes, *gandavum* rediere, ſuisque reparatis navibus terra marique iter facientes *moſam* ingreſſi ſunt, & in *Haslao* ſibi ſedem firmant ad hyemandum. hac etiam tempeſtate *Ludovicus* Rex ſenior obiit. *Karolus* vero frater eius *Romam* perexit, imperiique dignitatem adepus eſt.

DCCCLXXXII. At auſtrales franci congregant exercitum contra Nortmannos, ſed ſtatim terga verterunt, ibique *Vualo* mettenſis Epiſcopus corruit. dani vero famoſiſſimum *aquis grani* palatium igne cremant, & monaſteria, civitates *treviris* nobiliſſima, & *Coloniam agrippinam*, palatia quoque Regum & villas cum habitatoribus terrae interfectis igne cremaverunt. contra quos *Karolus* Imperator exercitum infinitum congregat, eoſque *Haſslao* obſedit. *Godefridus* vero Rex ad eum exiit, cui Imperator regnum freſonum, quod olim *Ronricus* danus tenuerat, dedit, conjugemque ei dedit *Gislam* filiam *Lotharii* Regis, Nortmannosque e ſuo regno abire fecit. *Ludovicus* vero Rex *Ligerem* petiit, Nortmannos volens e ſuo regno eijcere atque *altſtingum* in amicitiam recipere, quod & fecit. ſed quia juvenis erat, quandam puellam filiam cujusdam *germundi* inſecutus eſt, illa in domo paterna fugiens, Rex equo ſedens jucundo eam inſecutus ſcapulas ſuper liminare & pectus ſella equi attrivit, eumque valida

lida confregit. unde aegrotare coepit, & delatus aqud ſanctum *dyoniſium* non. auguſt. defunctus, maximum dolorem francis reliquit, ſepultusque eſt in Eccleſia ſancti *dyoniſii.* miſeruntque & vocaverunt fratrem eius *Karlomannum*, qui feſtine venit in frantiam. *Berardus* quoque quidam ab Italia veniens *Boſonem* Tyrannum non ſinebat quietum eſſe. Nortmanni vero menſe octobri in *condato* ſibi ſedem firmant, regnumque *Karlomanni* atrociter devaſtant. *Karlomannus* vero Rex eiusque exercitus *Sunnam* in *Barlous* reſederunt, ſed Nortmanni non ceſſant a rapinis, fugatis omnibus accolis, qui relicti fuerant trans *Sunnam.* unde cum exercitu per *terasciam* iter agens *Hiſam* tranſierunt. quos *Karlomannus* Rex inſecutus eſt, eosque in vallis comprehendit, commiſſoque praelio ſuperiores franci exſtiterunt, cecideruntque ibi Nortmanni circiter mille. Sed nil eos pugna haec perdomuit. *Karlomannus compendio palatio* petiit, & nortmanni *condato* ad naves reverſi, indeque omne regnum uſque *Hiſam* ferro & igne devaſtant, ſubverſis moenis & monaſteriis atque Eccleſiis uſque ad ſolum dirutis, ſervitoribusque divini cultus aut gladio aut fame peremptis, aut ultra mare venditis, & accolis terrae deletis nemine ſibi reſiſtente. tunc *Hugo* abba haec audiens, adunato ſuo exercitu venit ad regem, & Nortmannis a praeda ex pago Belvacenſi revertentibus ſimul cum Rege in *Vitconia* ſylva inſecutus, illi huc illucque diſperſi, paucis ſuorum amiſſis rediere ad naves, his etiam diebus *hincmarus* Re-

morum Archiepiſcopus vir merito a cunctis praedicandus ex hac vita deceſſit.

DCCCLXXXIII. Cui in ſede Pontificali *folco* vir ammirabilis per omnia ſucceſſit. poſthaec Nortmanni monaſterium & Eccleſiam ſancti *quintini* incendunt, ſimul etiam & Eccleſiam dei genitricis in *atrebatis* civitate. Iterum *Karlomannus* Rex Nortmannos inſecutus, nil proſpere vel utile fecit; moritur etiam his diebus *Hortgarius* Belvagorum Epiſcopus, cui ſucceſſit *Honoradus*. verno vero tempore a *condato* egreſſi maritima petiere loca, ibique eſtivo remorati tempore flamingos e terra ſua fugare compulerunt, & undique ſevientes omnia ferro & igne depopulantur; circa autumni vero tempora *Karlomannus* Rex in pago *vithmaultelnaco* contra *Latuerum* cum exercitu ad cuſtodiam regni reſedit. Nortmanni vero octobri menſe finiente *latuerum* cum equitibus & peditibus atque omni ſuppellectili veniunt, naves quoque per mare *Sunnam* fluvium ingreſſae compulerunt Regem, cunctumque eius exercitum fugere, atque *Hiſam* fluvium tranſire fecerunt; tunc *ambianis* civitatem ad hyemandum ſibi ſedem parant, dehinc uſque *ſequanam*, & circa fluenta *Hiſae*, omnem terram devaſtant. incenſis monaſteriis & Eccleſiis Chriſti, nemine eis reſiſtente; tunc franci videntes, Northmannorum res proſpere in omnibus accreſcere, quendam Danum *Chriſtianum* nomine mittunt ad eos, qui caute cum eis de redemptione regni ageret; ille vero

vero *bellovagum* venit, & ita *ambianis* perrexit ad exercendum ſibi injunctum negotium.

DCCCLXXXIIII. Circa idem tempus mortuo *Engelvino* Pariſiorum Epiſcopo, *Gozlinus* abba ſubrogatur in ſede eius. Nortmanni vero non ceſſant captivari atque interfici populum Chriſtianum, atque Eccleſias ſubrui, deſtructis meniis, & villis igne crematis, per omnes enim plateas jacebant cadavera Clericorum, Laicorum, Nobilium atque aliarum mulierum, juvenum & Lactentium. non enim erat via, aut Locus, quo non jacerent mortui, & erat tribulatio omnibus & dolor, videntes populum Chriſtianum uſque internitionem devaſtari. interim quia Rex juvenis erat, omnes Principes *Compendio palatio* conveniunt, tractaturi, quid illis eſſet agendum. initoque conſilio *Sigefiridum* danum Chriſtianum, Regique fidelem, qui nepos fuerat *Heoricidani*, ut cum principibus ſuae gentis tractaret, ut tributum acciperent, & e regno abirent. & ille, quod ſibi injunctum fuit, opere implere ſtuduit, *ambianis* ivit primoribus gentis, quae ſibi fuerant dicta enuntiat, & poſt longam & diuturnam conditionem in eundo & redeundo renunciando nunc his nunc illis ad ultimum XII millia pondera argenti cum ſuo pondere impoſuerunt Regi, & francis in tributum, & datis obſidibus ad invicem coeperunt hi, qui trans *Hiſam* erant, aliquatenus ſecuri eſſe. a die itaque purificationis ſanctae *Mariae*, uſque menſe octobri inter eos haec ſecuritas data eſt; ſed Nortmanni trans *Scaldum* agentes prae-

das more sibi solito ferro & igne cuncta devastant, Ecclesias, monasteria, civitates, vicos, habitatores usque ad internitionem deletis. post sanctum itaque pascha inchoatur tributum persolvi, spoliantur Ecclesiae, & Ecclesiastica mancipia, tandem soluto tributo mense octobri finiente adunantur franci, ut si Nortmanni immutari fidem vellent, eis resisterent. Nortmanni vero sua castra incendunt, atque ad *ambianis* recedunt, Rex vero & franci transito *Hisa* lento itinere eos insequuntur, praedicti vero dani iter agentes *Bononiam* veniunt, ibique agentes consilium, quid sibi faciendum esset, pars illorum mare transiit, atque pars *Luvaniam* in regno quodam *Lotharii*, ibique castra sibi statuunt, ad hyemandum. franci vero, qui cum *Karlomanno* fuerant, redierunt ad sua loca, pauci juvenes cum eo remanserunt venandi causa in *Basiu* silva, & dum Rex vellet percutere, quidam e suis *Bertoldus* nomine, cum eum juvare vellet, casu Regem in tibia vulneravit, & accepto vulnere supervixit plus VII diebus, atque in eodem loco defunctus est, decembri, anno aetatis suae circiter XVIII. delatum est Corpus ejus in monasterium sancti *dyonisii*, ibique humatum. franci capiunt consilium, & *Theodricum* comitem Italiae dirigunt ad Imperatorem *Karolum*, ut veniat in franciam.

DCCCLXXXV. *Karolus* Imperator nuntio percepto acceleravit iter & venit usque in *Pontionem*, ibique omnes, qui fuerant in Regno *Karlomanni*, ad eum venere, eiusque se subdidere Imperio,

perio, atque ita *Karolus* Imperator rediit in terram ſuam, praecipiens eos, qui erant ex regno quondam *Lotbarii*, & regno *Karlomanni* pergere *Luvanio* contra Nortmannos. condicto itaque exercitu uterque placiti die advenerunt, ad dictum locum, praeter *Hugonem* abbatem, qui dolore pedum ab hac profectione ſe abſtinuit, ſed nihil ibi proſpere egerunt, verum magno dedecore redierunt ad ſua, francoſque, qui venerant ex Regno *Karlomanni* irriſere dani, ut quid ad nos veniſtis, non fuit neceſſe, noſcimus, qui eſtis, & vultis, ut ad vos redeamus, quod faciemus. his etiam diebus *godefridus* danus, quia diſponebat ſuam immutare fidem, a *Stugerulfi* ſui fidelis ab *Henrico* duce interficitur; *Hugo* etiam filius *Lotbarii* Regis jubente Imperatore per conſilium dicti ducis excecatus eſt. menſe itaque Iulii VII calend. auguſt. *Rotomagum* civitatem ingreſſi, cum omni exercitu, francique eos uſque in dictum locum inſecuti ſunt, & quia necdum naves ipſorum advenerunt, cum navibus in *Sequana* repertis fluvium tranſierunt, & ſedem ſibi firmare non deſiſtunt; inter haec omnes, qui morabantur Neuſtria, atque Burgundia adunantur, & collecto exercitu adveniunt, quaſi debellaturi Nortmannos. Sed ut congredi debuere, contigit ruere *Ragnoldum* ducem cinomannicum cum paucis, & hinc rediere omnes ad loca ſua cum magna triſtitia, nil actum utile; tunc Nordmanni ſaevire coeperunt incendiis, occiſionibus ſicientes, populumque Chriſtianum necant, captivant, Eccleſias ſubruunt, nullo reſiſtente; iterum franci parant

ſe

ſe ad reſiſtendum, non in bello, ſed in munitione conſtruunt, quo navale illis iter interdicant, caſtrum quoque ſtatuunt ſuper fluvium *Hiſam* in loco, qui dicitur ad pontem *biſere*, quod a *Letrano* comittunt ad cuſtodiendum *Pariſios* civitatem *gauzilinus* Epiſcopus munit.

Nortmanni vero menſe Novembri *Hiſam* ingreſſi praedictum caſtrum obſidione cingunt, aquamque eis, qui in caſtro erant incluſi, haurire ex flumine, quia non habebant aliam, prohibent. hi vero, qui in caſtro erant, coeperunt Laborare penuria aquae, quid multa, pacem petunt, & vivos ſe abire petunt, & datis ad invicem obſidibus *aletranus* cum ſuis *bellvacum* petiit. Nortmanni vero dictum igne cremaverunt caſtrum, diripientes omnia inibi reperta, nam hi, qui caſtrum reliquerunt, omnia ſua inibi dimiſerunt, praeter arma & equos, ſub hac etiam conditione abire illis permiſſum eſt. hac Nortmanni patrata victoria valde elati, *pariſios* adeunt, turremque ſtatim aggreſſi valide obpugnant, & quia necdum perfecte firmata fuerat, eam ſe capi ſine mora exiſtimant, at Chriſtiani viriliter eam defendunt, & factum eſt praelium a mane uſque ad veſperum, noxque dirimit praelium, atque ita Nortmanni ea nocte regreſſi ad naves, *gauzelinus* vero Epiſcopus & *Otto* comes tota nocte cum ſuis Laboravere ſuam obfirmantes turrim ad praeparationem pugnae; ſequenti die iterum Nortmanni accurrunt ad ipſam turrim, ad praelium, fitque gravis pugna uſque ad ſolis occaſum; ſed dani multis ſuorum amiſſis rediere ad naves. inde-

que

que ſibi caſtrum ſtatuunt adverſus civitatem, eamque obſidione vallant, machinas conſtruunt, ignem ſupponunt, & omne ingenium ſuum apponunt ad captionem civitatis. ſed Chriſtiani adverſus eos fortiter dimicando in omnibus extitere ſuperiores. VIII. Calend. februar. contigit graue discrimen in civitate habitantibus, nam ex graviſſima inundatione fluminis minor pons diſruptus eſt, quo cognito Epiſcopus delegit nocte illa ex ſuis viros nobiles & ſtrenuos ad Cuſtodiam turris, ut mane facto pons reſtauraretur, quod Nortmannis minime latuit, anteque auroram ſurgentes cum omni multitudine ad ipſam accurrerunt turrim, eamque vallantes, ne adjutorium e civitate illis ſuperveniret, oppugnare coeperunt. Illis vero, qui intra turrim erant, acriter reſiſtentibus fit clamor multitudinis uſque in coelum, Epiſcopo deſuper muro civitatis cum omnibus, qui in civitate erant, nimis flentibus, eoquod ſuis ſubvenire non poſſent, & quia nil aliud poterat agere, Chriſto eos commendabat. at Nortmanni cum impetu portam ipſius turris adeunt, ignemque ſupponunt, & hi, qui infra erant, fracti vulneribus, & incendio capiuntur, atque ad obprobrium Chriſtianorum diverſis interficiuntur modis atque in flumine praecipitantur, indeque ipſam turrim deſtruunt; poſt haec non ceſſant obpugnare civitatem, Epiſcopus vero corde confractus ex gravi damno *Herkengero* comiti litteras miſit mandans, ut quam totius germaniam peteret, ex *Henrico* duce auſtraſiorum expeteret, quo ei & populo Chriſtiano ſubveniret. *Herkengerus* vero, quae ſibi

ſibi mandaverat, ſtatim adimplevit, & *Heinricum* cum exercitu *pariſios* venire fecit, ſed nil ibi profecit, atque in ſuam rediit regionem. *gozlinus* vero dum omnibus modis populum Chriſtianum juvare ſtuderet, cum *Segefrido* Rege danorum amicitiam fecit, ut per hoc civitas ab obſidione liberaretur; dum haec aguntur, Epiſcopus gravi corruit infirmitate, diem clauſit extremum in loculoque poſitus in ipſa civitate, cujus obitus Nortmannis non latuit, & antequam civibus eius obitus enunciaretur, a Nortmannis de foris praedicatur, Epiſcopum eſſe mortuum; dehinc vulgus perteſſi una cum morte patris obſidione inremediabiliter contriſtantur; quos *Otto* Illuſtris comes ſuis adhortationibus roborabat. Nortmanni tamen quotidie non ceſſant oppugnare civitatem, & ex utraque parte multi interficiuntur, pluresque vulneribus debilitantur; eſcae etiam coeperunt minui in civitate. his diebus idem *Hugo* venerabilis abba ex hac vita deceſſit, ſepeliturque in monaſterio ſancti *germani autiſiodero. otto* vero videns affligi populum, clam exivit de civitate, a principibus regni requirens auxilium, & ut Imperatori innotesceret velotius perituram civitatem, niſi auxilium ei daretur. dehinc regreſſus ipſam civitatem de eius abſentia nimis repperit merentem, non tamen in eam ſine admiratione introiit. Nortmanni eius praeſcientes occurrerunt ei ante portam turris, ſed ille amiſſo equo a dextris & a ſiniſtris adverſarios cedens civitatem ingreſſus triſtem populum reddidit laetum; nemo tamen mortalium

talium enumerare poteſt, qualia pericula ibi pertulerint, & quod millia hominum in diverſis plus ibi plus corruerunt ex utraque parte; nam ſine intermiſſione cum diverſo apparatu armorum & machinarum, arietumque ipſam concutiebant civitatem, ſed omnibus magna inſtantia ad dominum clamantibus ſemper liberati ſunt. nam ferme octo menſibus, antequam Imperator eis ſubveniret, diverſis modis praeliatum eſt; circa autumnum vero Imperator *pariſia* veniens cum ingenti exercitu praemiſit *Heinricum* dictum ducem auſtraſiorum, *pariſius* quidam advenit & illuc cum exercitu prope civitatem cum paucis inconſulte coepit equitare circa caſtra danorum, volens inviſere, qualiter exercitus caſtra eorum poſſent attingere, & quo ipſi caſtra figere deberent, & ecce equus eius ſubito corruens inter foſſas, quas Nortmanni fecerunt, illum dejecit in terram, ſtatimque de latibulis dani pauci ſurgentes illum interemerunt, magnumque dolorem, terrorem Chriſtianis fecit, danis vero gaudium. Cumque nudaſſent illum armis ſuis, ſupervenit quidam e francis *Ragnerus* nomine, comes, eiusque corpus non abſque vulneribus illis tulit, quod ſtatim Imperatori nuntiatum eſt; ille vero audito multum doluit, accepto tamen conſilio *Pariſios* venit cum manu valida; ſed quia dux periit, ipſe nil utile geſſit. his diebus. id eſt. XII Kalend. octob. *Bellovagus* civitas igne ex parte crematur. in quo incendio omnis ornatus monaſterii ſancti *vedaſti* in theſauro & ſacris veſtibus, & libris & chartis deperiit.

periit. Imperator vero cum exercitu ad castra Nortmannorum veniens, qui ex utraque parte fluminis castra fixerant, eis unam fecit deserere, fluviumque transire, atque in unum castra ponere. deinde misit custodes in civitatem, & exercitum misit trans flumen. indeque coeperunt, quia hyems imminebat, missi ad invicem discurrere, ut Imperator pacem cum danis faceret. & factum est vere consilium nimis miserum, nam utrumque & civitatis redemptio illis promissa est, & data, & via sine impedimento attributa, ut Burgundiam hyeme depraedarent; Episcopo quoque in ipsa civitate delegato *Haskerico*, nomine, & terram patris sui *Rotberti ottoni* comiti concessam.

Imperator castra movit, inde & quo venerat, festinavit redire. nam *Suesionis* apud sanctum *medardum* terram inter francos dispertiit. necdumque se de eo moverat loco, & ecce *Sygefridus* Rex, cujus supra meminimus, *Hisam* fluvium ingressus, terram & aquam iter faciens, post eum cum suis omnia ferro vastabat, & igne. quod, cum Imperator cognovisset; nam ignis ei certum nuncium deferebat, festine rediit in terram suam. post haec *Sigefridus* famosissimam Ecclesiam beati *Medardi* igne cremavit, monasteria, vicos, pallatia regia, interfectis & Captivatis accolis terrae. Nortmanni vero, qui per *Sequanam* ascenderant a *parisiis* cum omni exercitu & suppellectili & navibus *Hionam* fluvium ingressi *Senonas* civitatem obsederunt. Sed *Evrardus* Archiepiscopus ipsius civitatis statim cum eis de redemptione civitatis egit, & obtinuit, quod voluit.

DCCC-

DCCCLXXXVII. Nortmanni vero *Segonnam & ligerem* more solito pervagati sunt, his etiam moritur *Evrardus* senomensis Episcopus, cui successit *Vualtberus* juvenis, usque aestivo vero tempore resederunt, incendiis & occisionibus terram in solitudinem redegerunt; *Sigefridus* vero cum suis finiente verno in *Sequanam* rediit, agens solita, & circa autumni tempora *frexiam* petiit, ibique interfectus. dani vero *parisios* regressi propter tributum ab Imperatore promissum, pro qua re *ascrilus* ad Imperatorem abiit, & pro quo ierat rediens secum detulit, datoque tributo, quia nullus erat, qui eis resisteret, iterum per *Sequanam maternam* fluvium ingressi, *gaziaco* sibi castra statuunt; franci vero australes videntes Imperatoris vires ad regendum Imperium invalidas, ejecto eo de regno, *Arnulfum* filium *Karlomanni*, qui eius erat nepos, in solio regni ponunt. ast inferiores franci inter se divisi quidam *Vuidonem* ab *Italia*, quidam *ottonem* in regno statuere volunt; *Berengarius* etiam regnum Italiae usurpat. *Hroderat* cameracensium Episcopus his diebus obiit *Karolus* vero post amissum imperium fertur strangulatus, tamen in brevi finivit vitam praesentem, possessurus coeleste, ut credimus. Nortmanni vero omnia loca usque ad *mosam* more solito, & partem Burgundiae devastant.

DCCCLXXXVIII. verum ut diximus, franci divisi aliqui *Vuidonem*, qui partibus *fulchonis* Archiepiscopi favebant, alii *ottonem*, inter quos *Theodericus* comes eminebat, in regno statuere contendebant; convenerunt itaque, qui *ottonem*

advocarent *compendio pallatio*, atque cum consensu eorum, qui sibi consentiebant per manus *Vualtheri* Archiepiscopi benedici sibi in regnum fecerunt. pauci vero ex Burgundia *Vuidonem Lingonis* civitate per *geilonem* eiusdem civitatis Episcopum Regem sibi creaverunt. Interim dum haec aguntur, ordinatur *dodilo* cameracensium & atrebatensium Ecclesiae Episcopus XVI Kalend. april. at, qui ultra *curum* atque circa alpes consistunt, *tullo* adunati *Herodolfum* nepotem *Hugonis* abbati per Episcopum dictae civitatis benedici in Regem petierunt, qui ita egit; *Vuido* vero Rex factus, audiens, *ottonem* in frantia creatum Regem, cum his, qui se sequi deliberaverant, rediit Italiam, ibique cum *Berengero* rege non modica gessit bella, semperque victor extitit, cumque *Berengerum* e regno fugere compulisset, *Romam* ivit, Imperator efficitur. *otto* vero Rex francos, qui suae nolebant se subdi dominationi partim blanditur, partim terroribus sibi sociari festinabat; sed cum ei fidem dedissent, quo eius dominatui se subderent, contulerunt se ad *Arnulfum* Regem, uti veniret in frantiam, & regnum sibi debitum reciperet inter quos erant primi hujus discordiae *fulcho* Archiepiscopus, & *Herodolfus* abba, nec non & *Balduinus* comes. sed dum illi haec agerent, contigit *ottoni* Regi per dei misericordiam inopinata victoria, nam die nativitatis sancti *Joannis* Baptistae cum parvo exercitu danorum exercitui obviavit, sub *axonam* fluvium, commissoque praelio mox victor extitit; quae victoria non modicam contulit ei gratiam; post haec ab *arnulfo*

con-

convocatur ad placitum, qui ſibi & regno ſuisque conſulens, ſumptis primoribus e ſuis ad Regem ire non deſtulit, praemiſitque ante *Theodericum* cum aliis, qui ei ſuum nuntiarent adventum, & cum eo de his, quae neceſſaria erant, tractarent; qui ut ſibi imperatum fuerat, peregerunt, ei renuntiant, quo die ad condictum placitum devenirent; *Balduinus* relictis ſociis ivit ad Regem *ottonem*, & promiſit ſe de reliquo fidelem ei fore. at ille benigne ſuſcepit eum, & cum honore hortaturque, ut in ſua promiſſione maneret, juſſitque, ut ſecum iret ad condictum placitum. ſtatuto itaque die *otto* Rex fretus auxilio ſuorum *Vuormatiam* venit, honorificeque ab *arnulfo* Rege ſuſceptus, & facti amici, remiſit eum cum honore in Regnum ſuum, petens, ut indulgentiam eis daret, qui ſe ad eum contulerant. interim Nortmanni *meldis* civitatem obſidione vallant, machinas inſtruunt, aggeres comportant, ad capiendam urbem, quibus viriliter comes *Teudbertus* reſiſtit, donec interiit cum omnibus prope bellatoribus. mortuo itaque comite Epiſcopus *Sigemundus* timore perculſus juſſit Lapidibus obfirmari portas civitatis, cumque hi, qui infra civitatem erant, incluſi, obſidione pertaeſi, fame attenuati, mortibus etiam ſuorum nimis afflicti cernerent ex nulla parte ſibi auxilium adfuturum, cum Nortmannis ſibi notos agere caeperunt, ut data civitate ſinerentur vivi abire. quid plura, refertur ad multitudinem, & ſub ſpecie pacis obſides dant, reſerantur portae, fit via Chriſtianis, ut egrediantur delegatis his, qui eos, quo vel-

 lent,

lent, ducerent. Cumque omnem *maternam* transissent, & longius a civitate processissent, Nortmanni eos omnes insecuti comprehenderunt ipsum Episcopum cum omni populo, indeque reversi civitatem igne combusserunt, murosque, quantum placuit, destruxerunt, atque inibi morati usque mense prope novembri. circa autumni vero tempora *otto* Rex adunato exercitu *Parisiis* venit, ibique castra metata sunt prope civitatem, ne iterum ipsa obsideretur. Notmanni vero per *Maternam* in *Sequanam* regressi, indeque navigantes, & iter per terram facientes *Luvam* fluvium ingressi, circa eius littora sedem sibi firmant; *otto* vero Rex *Remis* civitatem contra missos *arnulfi* perrexit, qui ei coronam, ut fertur, misit, quam in Ecclesiam dei genitricis in Ecclesia sancti *Brictii* Capiti impositam ab omni populo rex adclamatur, ibique & qui se spreverant, delicta pie indulsit, atque in societatem recepit, & ut de reliquo sibi fideles forent, admonuit. *otto* vero Rex nativitatem domini in monasterio sancti *vedasdi* celebrem egit.

DCCCLXXXVIIII. post nativitatem vero domini cum paucis francis *aquitaniam* perrexit, ut sibi eos sociaret, quo audito *Rammulfus* dux maxime partis aquitaniae cum sibi faventibus venit ad eum adducens secum *Karolum* puerum filium *Ludovici* regis, & juravit illi, quia digna fuerunt simul & de ipso puerulo, ne quid mali de eo suspicaretur; aquitanios itaque Rex ex parte receptos festinat propter Nortmannos redire in frantiam.

Dani

Dani vero more suo Burgundiam, Neustriam, atque partem aquitaniae nullo resistente igne & ferro devastant; circa autumni vero tempora *parisiis* ingressi, contra quos *otto* Rex venit, & nuntiis intercurrentibus munerati ab eo, regressi a *parisiis* relictoque *Sequanam* per navale mare iter, atque per terram pedestre & equestre agentes in territorio *constantiae* civitatis circa castrum sancti *Lauti* sedem sibi faciunt, ipsumque castrum oppugnare non cessant.

DCCCXC in ipsa etiam obsidione positus *Listam* praedictae civitatis diem clausit extremum, gladio etiam nobilioribus praedicti castri deletis, ad ultimum capta est munitio dicti castri, interfectis eius habitatoribus, ipsumque castrum funditus terrae coaequatum. Brittani vero viriliter suum defensavere Regnum, atque aflictos danos sequanos redire compulerunt. imminente vero *festo omnium Sanctorum* dani per *sequanam Hisam* ingressi *noviomum* petunt, ad statuenda sibi castra hyemalia. illis vero, qui per terram iter agebant, occurrit Rex *otto* circa *germanicum*, sed propter Loci incommoditatem nil eis damni intulit. Nortmanni vero coeptum iter peragentes castra sibi adversus civitatem statuunt; *alstingus* vero cum suis *argona* super *sunnam* sedem sibi firmavit. *otto* vero Rex adunato exercitu super littora *bisae* fluminis resedit, ne regnum libere devastarent. *alstingus* vero per dolum pacem fecit cum *Rodulfo* abbate, ut libere posset ire, quo vellet. praedictus vero *alstingus* die solemnitatis sancti *Johannis* Evangelistae venit adversus castrum sive monaste-

 sterium

ſterium ſancti *vedaſti*, *Rodulfus* vero abbas timens, ne multitudo, qui *noviomum* erat, cum eis adveniret, & inſidias timens, quod etiam *alſtingus* mandaverat, populum retinuit, ſed cognita veritate poſt eorum diſceſſum multum doluit; frequentibus vero incurſionibus exterruit eos, nec auſi ſunt poſtea ita adverſus praedictum venire caſtrum.

DCCCXCI. Hi vero, qui *Novionae* erant, moventes exercitum uſque *moſam* omnem terram pervagati ſunt, indeque per bracbandum redire, tranſeuntesque *Scaldum* per invia loca parant redire ad caſtra, inſecutusque eos ſuper *galtberam*, ſed non ita, ut voluit. nam amiſſa praeda per ſilvas diſperſi evaſere, atque ita ad caſtra reverſi ſunt. circa autumni vero tempora relicto *noviono* maritima petivere loca, ibique toto aeſtivo tempore morati ſunt; indeque moventes iter uſque moſam, quod audiens *arnulfus* Rex velociter accurrit, eoſque uſque trans *Scaldum*, & prope *atrebatis* inſecutus, ſed eos non comprehendit; indeque rediit in regnum ſuum; Nortmanni vero, qui *Novioniae* hiemaverant, decreverunt *Luvanio* ſibi ſedem firmare ad hiemandum, illucque menſe novembri petunt iter, qui vero *agobio ambianis* ſedem firmant; *arnulfus* vero Rex adunato exercitu venit adverſus Nortmannos. & deo ſe protegente ipſum coepit caſtrum, interfecta non modica multitudine danorum, atque hac patrata victoria ita rediit in regnum ſuum, Nortmanni vero, qui huc illucque diſperſi erant, adunati in eodem

eodem loco iterum ſibi ſedem firmant. *otto* vero Rex adunato exercitu *ambianis* pergit, ſed nil ibi proſpere geſſit; verum poſt haec in pagum *jurmandiſſe* ob neglectum Cuſtodum illi improviſe ſuperveniunt dani, eumque fugere coegerunt.

DCCCXCII. *Rudolfus* abbas, & Levita obiit, non januar. ſepultuſque in Eccleſia beati *Petri* in ſiniſtra parte altaris in monaſterio ſancti *vedaſti*, tertio vero die poſt eius obitum, poſtquam *Caſtellam becfridum* comitem miſerunt, ejus obitum Regi nunciantes, & ut illis juxta ſuum velle quid agerent, remandaret *Baldoinum* a flandris avocantes per conſilium *Eureberti*, qui nimis fuerat veſutiſſimus contra voluntatem Regis receperunt, pro nihilo habentes, quod regi mandaverunt, ut quod *Hecfrido* comiti promiſerant. per hoc itaque, quod *Rurebertus* Conſiliatus eſt, *Baldoinus* itaque comes Legatos dirigit ad *dodonem* regem, mandans cum ſua gratia velle tenere abbatias ſui conſobrini, *otto* vero Rex reſpondit, ut ſineret illum prius eſſe poteſtativum de ſuo, quod illi conceſſit, & veniret ad ſed fidens benignum erga illum ſe inventurum fore.

Baldoinus vero ad hoc non praebuit aſſenſum; iterum Rex alios atque alios miſit, ſed nihil profecerunt. ex hinc *Baldoinus* regi coepit eſſe infeſtus, relicto itaque fratre *atrebatis* ipſe in flandras ante quadrageſimam perexit, ſed die lunae ante paſcha contigit nobis malum tale, quod inreculpabile eſt; nam caſu hora diei ſexta ipſum caſtrum igne accenſum combuſſit Eccleſias inibi ſancti *vedaſti*, ſancti *Petri*, & ſanctae *Mariae*, in

ipſo etiam incendio omnia patrocinia ſanctorum, quae habuimus, furto nobis ablata, omne etiam caſtrum conſumptum eſt. indeque fames valida, & ſterilitas terrae nos invaſit, ita, ut accolae terrae prae magnitudine famis ſua relinquerent loca. poſthaec *Baldoinus* caſtrum refirmat, & parat ſe ad reſiſtendum; Epiſcopi vero illum excommunicaverunt. ex hinc *odo* Rex adunato exercitu iter arripuit, quaſi *atrebatis* venturus, re autem vera flandris petiturum. *Baldoinus* vero ab *atrebatis* iter arripiens per aliam viam anteceſſit Regem, venitque in Bruciam, atque ita Rex ſine aliquo effectu rediit ad Loca ſua; nam antea *Vualkerus* eius conſobrinus caſtellum Luddunenſium, quod agere perceperat, per tyrannidem obtinuit, ſed Rex Caſtellum obſedit, ipſamque civitatem mox coepit, & poſt paucos dies dijudicatus. ſed Rex non ſibi providit, capite ejus juſſit truncari. Hocque actum, antequam Rex flandras pergeret; nam *Baldoinus* per *Eurebertum* inter ſe & *Walkerum* pacem facit. quae pax illi abſtulit vitam. Nortmanni vero *aluuario* regreſſi, videntes omne regnum fame atteri, relicta francia tempore autumni mare tranſierunt. franci vero, qui dudum *ottoni* Regi infeſti fuerant, ſociatis ſibi aliis, ut compleri poſſent, qua volebant, ſuaſerunt Regi, ut relicta francia hiemandi gratia peteret aquitaniam, ut franciam, quae tot annis afflicta erat, aliquatenus recuperare poſſet, & quia *Ramnulfus* obierat, & quia *Ebulus* & *gozbertus* ab illo diſciverant, eos, aut ſibiſociaret, aut

aut de regno ſuo pelleret, aut vita privaret; ille credulus factus, conſilio adquievit eorum, neſcius, quae ſibi mala parabant, aut ubi fines attigit, aquitaniae, *Ebulus* ejus adventum praeſciens in fugam verſus interfectus eſt juxta quoddam Caſtellum *Lapide*, frater quoque eius *gozbertus* per haec obſeſſus, atque imbre vitam finivit.

DCCCXCIII. Franci, qui in frantia remanſerant, ut inimicitiam & odium, quod habebant, contra *ottonem* Regem panderent *remis* adunati conſilium inierunt adverſus eum, ut die *purificationis* ſanctae *mariae* in eodem iterum convenirent Loco, & quod invicem firmaverant, manifeſtis indiciis demonſtrarent. mittunt itaque & *Karolum* regis *Ludovici* filium adhuc puerulum, ad dictum placitum venire fecerunt, & die ſupra dicto *remis* adunati eum in paterno ſolio benedictum in Regem collocant, omneſque conjurant adverſus *ottonem* Regem. fama itaque litius volans, quod factum eſt, *ottoni* Regi innotuit; ipſe vero, ut tunc conveniens fuerat, aquitaniam degens, ad eos, qui ſibi fideles erant, in francia mandat, ut conſtantes eſſent, in ſuaque poſſet permanere fidele. poſt paſcha domini *fulcho* Archiepiſcopus & *beribertus* comes aſſumentes *Karolum* regem cum omni exercitu diſponunt ire contra *ottonem* Regem, veneruntque contra eos *Richardus*, *Vuilielmus*, & *Hadamarus*, habueruntque exercitum copioſum. contra quos *otto* Rex venire non diſtulit; miſitque ad eos, qui cum *Karolo* erant, mandans, ut quidquid in eis deliquiſſent, per ſuum eis *vadium* emendarent, & memores eſſent ſacramenti, quae ſibi

 jura-

juraverant, atque ita, actum est, ut sine aliquo effectu unusquisque rediret in sua; *Karolus* cum suis reversus in frantiam; *otto* vero remansit in aquitania aestivo tempore. *otto* Rex subito franciam veniens *Karolum* cum suis e regno abire coegit; Septembri vero mense *Karolus* cum suis redit in frantiam improvise atque intercurrentibus nuntiis invicem pacem faciunt usque in pascha. atque ita *otto* Rex *compendio* ivit; *Karolus* vero cum *fulcone remis* repedavit.

DCCCXCIIII. denique post pascha adunato exercitu. *otto* Rex disponit in *Remis* contra *Karolum* eiusque fidelibus, Hi vero, qui ab eo disciverant, *remis* cum suo adunatur rege. *otto* vero Rex veniens castra adversus eos posuit, cumque hi, qui cum *Karolo* erant, viderent, se non habere; unde ei resistere, civitate munita, custodibusque delegatis sub optentu pacis acceptis a *Rotbberto* obsidibus, noctu civitatem ingressi cum suo Rege ad *arnulfi* Regis auxilium cum suo Rege se contulerunt; *arnulfus* vero Rex benigne suum excepit consobrinum, eique regnum paternum concessit; adjutoresque ei delegavit hos, qui erant de superiori frantia, qui reversi ab *arnulfo odonem* inveniunt in regnum eos cum suo exspectantes exercitu supra *axonam* fluvium; sed hi erant cum *Karolo* ex parte *arnulfi* cum *odone* rege amicitiam habebant, resederuntque, & illi ex alia parte dicti fluminis, nulloque peracto negotio unusquisque rediit in sua. *odo* vero Rex remansit in frantia. *Karolus* vero contulit se ad *Richardum*, quem insecutus *odo* Rex volens determinare bello finem

finem discordiae, verum pietas dei non concessit sanguinem finem litis finiri. per idem tempus *Teutboldus Lingoniae* urbis Episcopus excaecatus est, amans se *Richardi* dilecto, *odo* Rex iterum rediit in frantiam; *Karolus* vero cum suis in Burgundiam, quo poterant, morabantur.

DCCCXCV. Constricti vero hi, qui sequebantur *Karolum*, nam *odo* Rex eis, quicquid in frantia habuerant, tulerat Burgundiam, acriter depopulati sunt, venitque clamor eorum ad aures *arnulfi* regis, qui missos in frantiam mittens, jussit, ut *odo* & *Karolus* ad eum venirent, quatinus tantae calamitatis malum inter eos finiret. verum hi, qui *Karoli* partibus favebant, ab ipsa profectione suum retinuere Regem, missosque suos ad Regem dirigunt *arnulfum*, *otto* vero Rex strenuis secum assumptis viris ire ad Regem perexit *arnulfum* multisque honoribus eum honoravit; Rex vero illum cum honore excepit, atque cum laetitia ad sua remisit, filiumque suum Rex *arnulfus* in praesentia *odonis* Regis nomine *Zuendebolchum* benedici in regem fecit, eique concessit regnum quondam *Lotharii*. Cumque *odo* Rex rediret ab *arnulfo fulchonem* Archiepiscopum, qui pergebat ad *arnulfum*, itinere obviant, qui vix fuga lapsus est, interfecto *adalungo* comite, qui cum eo erat, at hi, qui cum *Karolo* erant, conferunt se ad *Zuendebolchum*, eique partem regni consentiant, uti veniat, & juvet *Karolum* suum consobrinum. quod audiens *odo* Rex, quia sui fatigati erant, quasi ignorans hoc *Sequanam* transiit; *Zuendebolchus* vero Rex & *Karolus* cum exercitu

citu veniunt, *Laudunumque* obſidione cingunt, *Baldoinus* vero comes & *rodulfus* frater eius, nec non & *Ragnerus* non bono conſilio accepto *Karolum* reliquerunt, & ſe ad *Zuendebolchum* contulerunt; hi vero, qui cum *Karolo* erant, videntes ſe inminui, & ut ferunt, quia *Zuendebolchus* cum ſuis *Karolum* privari vita cogitabat, ab ipſa obſidione legatos *odonem* mittunt, ut partem regni, qualemcunque ei placuerit, *Karolo*, & ei conſentiat, atque eos in pace recipiat. quod Rex libentiſſime annuit. indeque adunato exercitu in frantiam repedavit, ut *Zuendebolcho* nunciatum eſt, quia jam a *anduno* receſſerat, Epiſcopo *didone* inducias ſub ſpecie pacis petendo. quod primores *Karoli* videbat non ita eſſe erga ſe, ut fuerant, velociter reverſus eſt in regnum ſuum; *odo* vero Rex *Corbeiam* venit, indeque *atrebatis*, caſtrumque ſeu monaſterium ſancti *vedaſti* obſidione vallavit; ſed miſeratus Chriſtianitate, voluit eum bellando capere, homines vero *Baldoini* videntes ei non poſſe reſiſtere, pacem petunt. obſides regi dant, ad ſuum dirigunt ſeniorem, ut quid illis agendum ſit, inſinuet, & dum moram facit his, qui miſſus fuerat, rex juſſit ſibi aperiri portas, ingreſſusque monaſterium, caſtellumque ad Limina perexit ſancti *vedaſti*, Coramque eius ſepulchro humi proſtratus devotiſſime oravit, ac uberrime flevit, inibi etiam & miſſam audivit, gratias agens domino; venerunt itaque a parte *Karoli* & primorum eius *Heribertus* & *berchengerus*, & *Ekfridus* propter dictam rationem. miſſi vero *Bal-*

doini

doini regressi cum *Rotberto*, egerunt ea, quae senior eorum jussit, statimque Rex jussit illis dare claves castelli, omnesque suos jussit exire, & ita homines *Baldoini* recepere ipsum castrum. Rex vero ab *atrebatis* disponit iter ad sanctum *quintinum* & *perronam*. nam sancti *quintini* castrum per noctem tradendo eum ab intus tulerat *Rodulfus* filius *Theoderici*, sed intercurrentibus nunciis distulit Rex profectionem, & *Karolo* fidelibus indixit placitum usque post pascha, ut hyeme sine discordiis agerent.

DCCCXCVI. *Odo* Rex in frantia hyemavit. *Karolus* vero Rex supra *mosellam*, ex hinc hi, qui cum *Karolo* erant, *Baldoinum* infestum habuere, & ubique depraedationes agebantur ab eis. nam omnia castella tulerat eis *odo* Rex, excepto *remis*. igitur per varia placita totus hic annus pertransiit. *odo* Rex placitum cum suis fidelibus habuit, volens partem regni, quam ejus fideles tenuerant, *Karolo* concedere. Sed *Rodulfus* comes omne illud placitum disrupit. unde *Heribertus* & *Ercbenkerus* omnibus jam proditis contulerunt se ad Regem *odonem*, paucique relicti sunt, cum *Karolo*; post haec *odo* Rex castrum sancti *quintini* & *perronam* obsedit, hominesque *Rodulfi* inde ejecit. *fulcbo* vero Archiepiscopus, qui adhuc favebat partibus *Karoli*, circumventis a fidelibus *odonis*, & licet invitus venit ad regem, & de omnibus, quae ei Rex jussit, satis illi fecit. *Karolus* vero hoc audito secessit in regnum *Zuendebolchi*, ac per idem tempus iterum nortmanni cum duce *Hundeo* nomine, & quinque barchis iterum *Sequanam* ingressi,

greſſi, & dum Rex ad alia intendit, magnum ſibi accrexere fecit. *Rodulfus* vero intra commotus propter caſtella perdita, dum praedari non ceſſat, abbatiam ſancti *quintini*, ab *Heriberto* in bello occiditur. Nortmanni vero jam multiplicati paucis ante nativitatem domini diebus inſam ingreſſi *caticiaco* ſedem ſibi nullo reſiſtente firmant. *Arnulfus* Rex *Romae* Imperator efficitur.

DCCCXCVII. Poſt hoc uſque moſam in praeda exierunt nullo ſibi reſiſtente. a praeda vero illis revertentibus, occurrit regis exercitus, ſed nil profecerunt, verum nortmanni ad naves reverſi timentes multitudinem exercitus, ne obſiderentur, in *Sequanam* redierunt, ibique toto demorantes aeſtate praedas agebant nullo ſibi reſiſtente. *Karolus* vero *hundeum* ad ſe deductum divino monaſterio in paſcha eum de ſacro fonte ſuſcepit. verum poſthaec hi, qui cum *Karolo* erant, videntes ſuam paucitatem, & nullum tutum habere locum refugii, iterum ad *ottonem* regem dirigunt, quatinus ad memoriam reduceret quod ſenior eorum filius eſſet ſui quondam ſenioris, & partem aliquam ei ex paterno regno concederet, adeo Rex cum conſilio ſuorum reſpondit, ſe illi velle miſereri, ſi ſibi liceret, & intercurrentibus nuntiis venit *Karolus* ad eum, quem ille benigne ſuſcepit, deditque ei tantum e regno, quantum ſibi viſum fuit, promiſitque majora, & remiſit eum ad locum ſuum pacificato *heriberto* cum eo. *Baldoinus* etiam *Rotberto* faciente venit ad Regem, quem Rex honorifice ſuſcepit, & de omnibus, quae

quae jusserat illi Rex, satis illi fecit; & ita remisit eum rex ad sua. Nortmanni vero jam multitudine fidentes regnum ferro & igne devastant. unde Rex misit ad eos regnum redimere volens, & facto placito super ligerem hyemandi gratia pergunt. *odo* vero Rex venit ad quoddam castrum super fluvium *Isam*, quod *fera* dicitur, ibique graviter infirmari coepit, qui dum languor per dies singulos increſceret, omnibus rogare coepit, ut *Karolo* servarent fidem.

DCCCXCVIII. obiit ipse in eodem loco *Kian*, corpusque eius apud sanctum *dyonisium* delatum, ibique honorifice humatum. *Eran* vero rege mortuo die *remis* conveniunt, *Karolumque* in sede paterna restituunt. *Baldoinus* vero propter *Heribertum* venire distulit, attamen missos dirigit, qui regi innotescerent se illi fidelem esse, sicut dignum erat. Nortmanni vero verno tempore rediere ad naves, vastatam aquitaniae partem atque Neustriam insuper plurima eversa castra interfectis habitatoribus. Posthaec *Rotbbertus* comes frater regis *odonis* venit ad Regem, quem Rex honorifice suscepit, eiusque fidelis rediit ad sua. Similiter fecit & *Richardus*; posthaec Rex *Karolus* cum exercitu parvo Nortmannis a praeda revertentibus in pago *Vuitman* juxta quamdam insecutus aliquibus suorum interfectis predonisque vulneratis Nortmanni tenentes more solito loca importuna tenentes, rediere ad naves, castrum, quod dicitur *mostorio*, ut inguer obsed. Nortmanni Brittaniam petierunt, ut ibi hiberno tem-

tempore remorarent. Sed Brittanni adunati contra eos in praelium, terga verterunt Nortmanni, cecideruntque ibi ex eis fere XIIII. millia, atque ita rediere ad naves in *Sequana*.

DCCCXCVIIII. hyemis vero tempore Burgundiam petierunt, ibique ſedem ſibi ſtatuunt ad hyemandum; ſed *Richardus* comes noctu *ſanctorum innocentium* commiſit cum eis praelium; & victor exiſtens compulit eos redire in *Sequanam*. *Ragnerus* vero comes venit ad Regem *Karolum*, & fidem ei promittens ſuaſit illi, atque ſuis fidelibus invadere regnum *Zuendebolchi*; ſed ille ſuis adunatis fidelibus venit contra *Karolum*, nuntiisque diſcurrentibus inter eos *Karolus* nullo peracto negotio rediit in regnum ſuum. *Baldoinus* vero contra Regis voluntatem *peronam* invaſit, ſed ſub celeritate amiſit. poſthaec menſe Novembri Nortmanni quaſi ſedem ſibi firmandam ſuper *biſam* iter arripientes omnem terram pervagati ſunt uſque moſam. inſecutusque eſt eos *Zuendebolchus* Rex, ſed non comprehendit eos. *Karolus* Rex obſedit caſtrum ſancti *vedaſti*, & habitatoribus excommunicatis omnibus, hi, qui ipſum caſtrum tenebant, miſſos dirigunt ad *Baldoinum*, & quamvis non voluntarie obſides Regi dederunt, dato ſpatio ad ſua exportanda. ad dictum vero placitum rediit Rex, venitque ad eum *Baldoinus* in pago cameracenſe, & primitus pacificati ſunt *Karolus* Rex & *Zuentebolchus*, & reddidit *Baldoinus* Regi caſtrum, & ſuos exinde fecit exire, quem Rex dedit *almaro* comiti, in ipſo etiam placito debue-

buerunt ſe pacificari *heribertus* & *Baldoinus*, atque redierunt unusquisque ad ſua loca. *Karolus* vero Rex aeſtivo tempore ſuper *biſam* adunato exercitu reſedit tractaturus, quid agerent de ſuis inimicis. *Baldoinus* vero perexit ad ipſum placitum, volens ſibi regem reblandari, ut terram, quam ei tulerat, redderet. Cumque hoc contra diceret *fulcho*, atque *heribertus*, *Vuinetmarus* improviſe ſuperveniens *fulchoni* Archiepiſcopo cum ſuis complicibus, quod dictum nefas eſt, multis perfoſſum vulneribus interfecerunt, XVI. Kal. Iulii, corpusque ejus *Remis* delatum, atque in Eccleſia beati *Remigii* poſitum. poſthaec ordinato Epiſcopo *Hereveo remis*, ſynodoque facta, omnes interfectores Epiſcopi damnaverunt, & a Liminibus ſanctae matris Eccleſiae extorres reddiderunt; Rex vero cum *Ruotbberto* & *Richardo*, atque *Heriberto* coepit ſermocinari de Nort anni; quid agerent. unde contigit quadam die, ut *manaſſes* quidam ex fidelibus *Richardi* cum Rege loquens, quae illi non conveniebat de *Rotbberto* locutus eſt; quod ubi *Rotbberto* nunciatum eſt, aſcenſo equo rediit in ſua, atque ita omnes diſcordantes ſine ullo effectu reverſi ſunt.

DCCCC. *Arnulfus* Imperator obiit, cui *Ludovicus* filius puer ſucceſſit.

DCCCCI. obiit *franco* Leodicenſium Epiſcopus, cui ſucceſſit *Stephanus*. eodem anno propter inſolentiam morum interfectus eſt *Zuendibolich* Rex a Lotharienſibus, quicunque tamen in ea conſpiratione & bello hoſtium eius vulneratus eſt,

 aut

aut mortem in praeſenti non evaſit, aut nunquam ſanari meruit.

DCCCCVI. *Cuonradus* cum *Adelberto* pugnans occiditur.

DCCCCX. gens ungrorum primo germaniam vaſtant.

DCCCCXI. *Ludovicus* Rex filius *arnulfi* obiit, cui *Cuonradus* ſuccedit, & ungri orientalem franciam devaſtant.

DCCCCXII. *Karolus* jam tandem occidentalium Rex regnum & jam Lotharienſe recepit.

DCCCCXVIII. *Conradus* Rex obiit.

DCCCCXVIIII. *Heinricus* fit Rex.

DCCCCXX. *Stephanus* Epiſcopus Leodicenſium obiit, & diſſenſio inter *Hilduinum* & *Richarium* de Epiſcopio fit, & quia *Hilduinus* factione tantum *gisleberti* ducis, qui a fidelitate domini ſui *Caroli* refragaverat, illud adeptus erat, *Richarius* autem a *Karolo* conſecutus erat, authoritate Papae *Hilduinus* abicitur.

DCCCCXXII. *Richarius* voto & electione cunctorum Leodicenſium Epiſcopus inſtituitur. eodem anno *Rothbertus* frater *Hodonis* regis regnum occidentale contra dominum ſuum *Karolum* invaſit.

DCCCCXXIII. *Karolus* adjutorio Lotharienſium apud *Sueſionis* civitatem bellum cum *Rothberto* iniit, in quo dei judicio *Rothbertus* occubuit. eodem anno *Karolus* cum *Heinrico* Rege germanorum foedus iniit, & ab amore *Heinrici* Lotharien-

rienſi regno ceſſit. Iuratum eſt utrinque ab Epiſcopis & comitibus in medio *Reni* fluminis apud *Bonnam*.

DCCCCXXIIII. *Karolus* Rex ab *heriberto* comite comprehenditur, & *Theodorici* caſtello, deinde *Bonae* cuſtodiae mancipatur. ubi poſt *biennium* exul & martyr vita diſceſſit.

DCCCCXXV. *Rodulfus* regnat in frantia.

DCCCCXXVI. *Ludovicus* filius *Karoli* mare tranſiit, poſtea regreſſus licet erumnoſe, adjutorio tamen quorundam ſuorum regnum recepit occidentale.

DCCCCXXVIIII. *Edit* Regina venit ſaxoniam.

DCCCCXXXVII. ungri interveniunt.

DCCCCXXXVIII. *Heinricus* Rex pacificus obiit, dominus noſter *Otto* ſuccedit.

DCCCCXXXXI. *Otto* de inſidiis conſpiratorum apud *quinteleburg* liberatur, aliis interfectis, aliis exulatis.

DCCCCXXXXII. *gislebertus* habens in matrimonio ſororem domini ſui nomine *gerbergam*, ſed ei rebellis exiſtens cum *Euuardo* periit. eodem anno *Ludovicus* Rex uxorem eius ſibi matrimonio copulavit.

DCCCCXXXXIII. Stella cometes apparuit, fames ſubſecua eſt.

DCCCCXXXXV. obiit *Richarius* Leodicenſium Epiſcopus. cui ſucceſſit *Vbogo*.

DCCCCXXXXVI. *Edit* Regina obiit.

DCCCCXLVII. obiit *Vbogo* Epiſcopus, cui ſucceſſit *farebertus*.

DCCCCLI. *Lietulfus* Rex cum *Cuonrado* duce insurrexit adversus Patrem.

DCCCCLII. bellum fuit inter *Cuonradum* & *Rainerum* supra *mosam.*

DCCCCLIII. obiit *farabertus* Leodicensium Episcopus, cui successit *Ratherius.*

DCCCCLIV. ungri partem galliarum vastant; eodem anno *Ludovicus* Rex obiit, cui *Lotharius* filius suus succedit.

DCCCCLV. *Ratherio* ejecto, *Baldricus* Leodicensium Episcopium subripit.

DCCCCLVI. *Luitulfus* rex in Italia diem clausit extremam; eodem etiam anno *Bruno* frater eius parvulus obiit; & dominus *otto* victoriam de ungris obtinuit, ubi & *Conradus* dux occubuit.

DCCCCLIX. obiit *Baldricus* Leodicensium Episcopus, cui succedit *Eueracrus.*

DCCCCLXI. dominus noster *otto* aequivocus patris consors paterni regni asciscitur, & septiformi gratia spiritus sancti donatur in *palatio aquensi* septem hebdomatibus a pascha transactis die pentecosten, & hora, qua spiritus sanctus super discipulos venit, VII. Kalend. Iunii, Luna VII. anno aetatis suae VIImo.

DCCCCLXII. Dominus *otto* senior *Italiam*, ut cuncta subigit, *Romam* accedit, ubi & Imperator fit.

DCCCCLXV. bonae memoriae & sanctae recordationis dominus noster *Bruno* Archiepiscopus hominem exuit.

DCCCC-

DCCCCLXVIII. Dominus noſter *otto* Rex *Italiam* a patre evocatur, atque ab eo *Romae* conſors Imperii ſolempniter aſciſcitur. eodem anno *Mathildis* Regina mater Imperatoris obiit.

DCCCCLXIX. hoc anno Imperator natale domini in *apulia*, paſcha in *Calabria* celebravit.

DCCCCLXX. hoc anno natale domini *Papiae*, paſcha *Ravennae* celebravit.

DCCCCLXXI. obiit dominus *Everacrus* Leodicenſium Epiſcopus. menſe octobri. VI. Kalend. nov. hoc anno natale domini *Romae*, paſcha *Ravennae* celebravit.

DCCCCLXXII. dominus noſter *Notkerus* menſe aprili octavis paſchae & VIIII Kalend. maij apud *Bonnam* a domino *gerone* Archiepiſcopo inſtituitur Leodicenſium Epiſcopus; hoc anno Imperator natale domini *Ravennae*, paſcha *Romae* celebravit, ubi tunc equivoco atque Imperatori ſuo *Theophani* nomine ab apoſtolico *Ioanne* coronata inlegitimo matrimonio eſt ſociata.

DCCCCLXXIII. dominus noſter *otto* Imperator auguſtus pius & pacificus, qui in omni gloria ſua non vidit confuſionem, poſtquam natale domini in *franconofort*, & paſcha in *quitelingeburg* celebravit, non. Maii hac vita deceſſit, relinquens nomine & opere, ſapientia & poteſtate aequivocum ſuum ſui Imperii ſuperſtitem.

DCCCCLXXIV. hoc anno Imperator natale domini publica villa *trajecto* celebravit, paſcha in *quitelingeburg*.

DCCCCLXXV. hoc anno natale domini in villa *polita*, paſcha *grani* palatio celebravit.

DCCCCLXXVI. hoc anno natale domini in *bereſtein*, paſcha in *altſtede* celebravit.

DCCCCLXXVII. hoc anno natale domini *coloniae*, paſcha in *Engelhaim* celebravit.

DCCCCLXXVIII. hoc anno natale domini *Torenburg*, paſcha in *quitelingeburg* celebravit.

DCCCCLXXVIIII. hoc anno natale domini in *franconofort*, paſcha in *trutmonnia* celebravit.

DCCCCLXXX. Hoc anno natale domini in *polida*, paſcha in *Engelheim* celebravit.

DCCCCLXXXI. hoc anno natale domini *Ravennae*, paſcha *Romae* celebravit.

DCCCCLXXXII. hoc anno natale domini in *ſalerna*, paſcha in *tarente* celebravit.

XXXVIII.

CARTA *CUONRADI* MURBACENSIS ELECTI ET FRATRIS SUI *ULRICI* PREPOSITI LUCERNENSIS DE PLEBANIA *LUCERNAE*. die 18. Apr. 1178.

Ex Urbario plebaniae Lucernenſis apographum lib. 1. Miſcellaneorum Helveticae Hiſtoriae p. 148—149. MS. in fol. *Tugii* in Bibliotheca Zur-Laubeniana.

Notum ſit omnibus praeſentibus & futuris, qualiter venerabilis Murbacenſis Electus C.(1) divina inſpiratione, conſilio quoque fratris ſui Pre-

Prepoſiti Lucernenſis *V.* (2) probabilis & diſcretae perſonae, nec non totius tam Morbacenſis, quam Lucernenſis Collegij conniventes, plebaniam quam ipſe cum omnibus anteceſſoribus ſuis *Lucernae* obtinuerat, pro ſalute ſua & plebis *B.* (3) reverendo conſtantienſi Electo reſignavit. Deinde Canonica electione praenominati Prepoſiti totiusque conventus, recto conſilio *A.* (4) Advocati plurimorumque tam fidelium ſuorum, quam Miniſterialium Morbacenſium Dominum *W.* (5) de *Chriens* primum legitimum plebanum in hunc modum inibi conſtituit. Praebendam *Lucernae* nec non domum (6) in curia clauſtri, pagum quoque, qui dicitur *Blattun* (7) & reditus unius manſus cum omni jure ſuo in villa *Waltwilare* (8) & decimas villae *Staffeln* (9) & *Vupingen* (10) eidem plebaniae tali diſpenſatione in ſempiternum contulit, ut obtentu praebendae choro plebanus convenienter interſit, niſi Eccleſiaſtica negotia prepediant. Preterea ſingulis annis in feſto beati *Andree* (11) XX ſolidos Turegenſis (12) monetae fratrum collegio plebanus debet perſolvere, nec non Abbati quarto anno in ſervicium Epiſcopi decem talenta contribuet. Praefatae vero plebaniae ad divina plebi miniſtranda Eccleſia in villa ſita, quae *Capella* (13) dicitur, nominatim deputata eſt, ad quam matutinale celebraturus officium Eccleſiae paſtor inceptis laudibus matutinis de choro Dominorum egredietur. Veſperas vero dicturus, incepto ſive lecto *Magnificat* exibit. Liceat parochianis debitam & plenariam paſtori ſuo obedien-

tiam exhibentibus ſingulos ſeu plures etiam clauſtralium, ſi libuerit, ad lectum egritudinis ſuae ſalubris gratia conſilii advocare, & de rebus ſuis juxta placitum illis deſtinare, & quicquid voluerint, de miſſarum vel orationum ſuffragiis cum ipſis ordinare. Defunctis etiam campanarum ſonitus & ſepulturae officium in monaſterio exhibebitur in hunc modum, ut plebanus funus allatum, veluti moris eſt, excipiat & miſſam pro defunctis in Altari ſanctae crucis celebret, nullo alio praeſumente miſſam incipere, ante lectum ab ipſo Evangelium. Finita vero miſſa plebani, ſi a collegio Fratrum miſſa petatur, ſeu quod ſepulturae interſit, aderunt ipſi exequiis, plebano corpus terrae commandante. In Dominicis vero diebus totaque ebdomada, cum plebano viſum fuerit, ipſe ad praefatum altare divina celebrabit, ſic tamen, ut ſermo ad populum, primam clauſtralium congruo tempore canendam non impediat; Si quid autem ortum fuerit queſtionis de negotiis Eccleſiaſticis ante primam nondum diffinitum, ad Eccleſiam plebaniae antedictam ſacerdos transferat & inibi diſcutiat & diffiniat. In paſcha vero & Pentecoſten in monaſterio a fratribus fons baptiſmi conſecrabitur, & ab aliquo eorum primus infantum baptizabitur, plebano reliquum officii ſupplente. In inventione autem ſanctae crucis & nativitate *Iohannis Baptiſtae* & feſtivitate beati *Leodegarij* Cuſtos ad altare ſanctae crucis populo miſſam cantabit & oblata vendicabit. Inſuper candelae ubicunque in monaſterio oblatae & omnia ad altare ſanctae crucis oblata preter ſolos denarios

narios plebano oblatos, mulierum quoque post partum ecclesiae limina introeuntium oblationes eidem armario attinebunt, ita tamen, quod nulla plebano inobediens, ipso renitente introducatur; Ex quibus ipse edituus sacras vestes, calicem, vinum, oblatas, librum, luminaria plebano recompensare tenetur. Facta & instituta sunt haec a Venerabili Morbacensi Electo *Cuonrado* coadiuvante fratre suo Preposito *V.* viro prudente cum assensu totius chori Lucernensis, anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXVIII. primo (15) vero decem novenali cicli. XIIII (16) Kalendas Maij. sub *Alexandro* (17) Papa regnante. *F.* (18) Imperatore, tempore *B.* (19) Constantiensis Electi, presentibus viris honestis *Burchardo* (20) Abbate sancti *johannis*, religioso viro. *Arnoldo* advocato in *Rotemburch* *Arnoldo* de *Garten* (21) cum fratribus suis *Henrico*, *Tethelmo*, *Pernero*, *Hartmanno* de *Merlascalchen* (22), *Heinrico*, *Nothero* de *Litowo* (23) aliisque perpluribus.

(1) Scilicet *Cuonradus* vel *Conradus* e nobilissimo stemmate Baronum de *Eschenbach*, Dominorum in *Schnabelberg* &c. de quo consulatur *Leonis Histor. Helvet. Lexic. T. VI. p. 420—423.* plura Helvetiae monasteria illi prosapiae fundationes suas & dotationes debent, Cappellense in Cantone Tigurino, *Eschenbach* in ditione Lucernensi, *Frauenthal* in Tugiensis civitatis dominio. Litterae fundationis monasterii *Capellae* ord. cisterc. an. 1185., quas retulit *Hottingerus Speculo Tigurino p. 265—268.* celebrant illius conditores, *nobiles fratres de Exhibabe ortos, hoc est Conradum Abbatem de Morbach Udolricum Praeposi-*

tum de Lucerna & Walterum Dominum de Senableborkc. Praesens anni 1178. carta *Chuonradum* Murbacensem Electum nominat; de illo sic ait vetus catalogus Murbacensium Abbatum, qui continetur *Tom. I. Miscellaneorum Helveticae Historiae p. I.* in Bibliotheca zur-laubeniana: *Conradus I. Abbas anno 1176. vixit sub Alexandro III. & a Friderico I. Imperatore regalia accepit, sed non bullas a Pontifice.* Idque tribuendum scismati, cui adhoerebat imperante *Friderico* I. fere tota Helvetia contra Papam *Alexandrum* III. quod scisma duravit ab an. 1159. usque ad. 1. Aug. 1177. quo *Fridericus Alexandrum* pro legitimo agnovit Pontifice. At Episcopi & Abbates, qui fuerant *electi* tempore scismatis & simul adhoeserant Anti-papis, bullas obtinere ab *Alexandro*, licet reconciliati, non potuerunt, quamdiu vixit. Eo autem mortuo 30. Aug. 1181. illius successores mitiori usi sunt indulgentia erga Episcopos & Abbates electos tempore Veteris scismatis.

(2) Videlicet *Udalricus* vel *Ulricus*, cujus Praepositi nomine inscriptum servatur *Lucernae* in Thesauro Praepositurae pergamenus Codex, dictus *Plenarium* aureo argenteoque tegmine & pluribus pretiosis fulgens lapidibus. vid. *Langii Historiam Ecclesiasticam Helvetiae T. I. p. 725.*

(3) *Berchtoldus* nempe Liber Baro de *Busmans* ex *Turgovia* electus Constantiensis Episcopus an. 1169. & mortuus 1183. *vir prudens admodum atque ob virtutem omnibus commendatissimus.* tali encomio insignitus est a *Bucelino* in *Chronologia Constantiensi. p. 249. & 253.* Fuerat quoque fautor *Friderici* I. Imperatoris contra *Alexandrum III.* PP.

(4)

(4) Alias *Arnoldus* Nobilis vir seu Baro de *Rotenburg* prope *Lucernam.* vide de illis Dynastis, qui Advocati Monasterii Lucernensis extiterunt, *Histor. Helvet. Lexic. T. XV. p.* 457. sq. Authore D. *Leu. Arnoldus* de *Rotenberg*, forsan filius praefati recensetur Abbas Murbacensis an. 1194. in transactione habita cum *Ludoldo* Basiliensi Episcopo.

(5) W. *Wernherum* scilicet de *Chriens*, sic dictum a pago suae Nativitatis *Kriens* sito prope meridionalem Lacus IV. Cantonum silvestrium ripam, versus montem Pileatum in ditione Reipublicae Lucernensis, cujus hic pagus cum sua parochia una praefecturarum constat.

(6) Quilibet plebanus *Lucernae* suam adhuc habet domum curialem in *claustro* dictam, quia sita est in ambitu Praepositurae Lucernensis, vulgo dictae *in dem hof*; in *curia claustri.*

(7) *Blattun* seu *Blatten.* pagellus cum capella sancti *Jodoci* in praefectura *Malters* ditionis Reipublicae Lucernensis. vide *Historicam Lucernensis Cantoris Topographiam D. Felicis de Balthasar T. 1. p. 89.*

(8) *Waltwilare* hodie villa *Waltwil* in praefectura *Malters* prope *Littau* & *stafflen* in ditione Reipublicae Lucernensis.

(9) Villa *staffen* pagellus in praefectura *Malters* ditionis Lucernensis vid. *Leu. l. c. T. XVII. p. 491.*

(10) *Kupingen* hodie villa dicta *Ruppiger-hof*, in praefectura *Malters.* vid. *Leu. l. c. T. XV. p. 574.*

(11) 30. Nov.

(12)

(12) Thuricensis monetae a civitate *Zurich* sic nomintaae.

(13) Illa capella sanctorum *Petri* & *Pauli* existit *Lucernae* ad ingressum pontis dicti ab ea die *capell - brucke* per quem itur ad Ecclesiam Praepositurae seu parochialem. Iste pons ligneus tectus & picturis sat elegantibus ornatus est & amoenissimo prospectu gaudet. Vocatur quoque die *hof-brücke* propter Praeposituram, ad quam tendit, quaeque vulgariter nuncupatur *der hôf* curia. In hac capella celebrantur bis annuatim comicia senatus, quando removeri solet, & coram civibus leguntur statuta civitatis. *Leu l. c. T. XII. p.* 247.

(14) *V. Udalrico* vel *Ulrico.*

(15) Gallice. cycle de dix neuf ans. vogez l'art de verifier les dates. Anno 1178. fuerat *primus* hujus cycli decem novennalis.

(16) Die XVIII. Aprilis.

(17) *Alexander III.* PP. die VII. septembris 1159 creatus obiit XXX Aug. 1181.

(18) *Friderico* Imperatore.

(19) *B.* id est, *Berchtoldi.*

(20) Monasterii nempe sancti *johnnnis* in *Turtal*, in *Turana valle*, vulgo dicti *alt sanct - johanns* in comitatus Toggici (*Tockenburg*) superiori parte, quod an. 1555. Praepositura evasit & Abbatiae sancti *Galli* unitum. De hujus monasterij fatis consule *Leu l. c. T. X. p.* 573—576. Inter Abbates sancti *johannis* plurimum celebratur *Burchardus*, de quo praesens anni 1178. instrumentum agit. Superest in Bibliotheca Abbatiae Ein-

Einſidlenſis codex pergamenus Manuſcriptus *Frowini* Abbatis Monaſterii *Montis Angelorum* contra *Burcardum* Abbatem S. *joannis* in *Turana valle*, qui graviſſimum defendebat errorem de *felicitate quorumdam juſtorum ante Chriſti passionem & mortem Mortuorum. Burcardus* tamen fortiſſima *Trowini* admonitione & rationibus poſtea reſipuit. vid. *Hartmannus Annales Heremi Deiparae Matris p. 216. Friburgi* Brisgoviae 1612. in fol. *Lang. Hiſtor. Eccleſ. Helvetiae T. I. p. 879. & Leu l. c. T VI. p. 340.* Beatus *Frowinus* obiit die 27. Martij 1178. eodem anno, quo praeſens carta fuit data.

(21) Nobiles de *Garten* in Helvetia.

(22) Hodie *Merliſchachen*, pagellus cum capella inter *Meggen* & *Kuſsnach* ad lacum *quatuor ſilveſtrium Cantonum*, in parochia *Kuſsnacht* & ditione Reipublicae Suitenſis. Caſtrum illius pagelli fuit anno 1352. a Confoederatis Helvetiis dirutum. *Leu l. cit. T. XIII. p. 73.*

(23) Nobiles de *Littau* ſuum habebant caſtrum in pago eiusdem nominis, qui cum parochia *Malters* praefectura eſt Reipublicae Lucernenſis. Fuerant illi Miniſteriales Abbatiae Murbacenſis, ſicuti docent cartae annorum 1199. 1213 &c. apud *Herrgott Geneal. Habsburg. vol. II. p. 205. 206 & 220.*

XXXIX.

XXXIX.

CARTA *ARNOLDI* ABBATIS MURBACENSIUM ET LUCERNENSIUM MONASTERIORUM, QUA PRAEDIUM SEU PRATUM QUODDAM IN *EILSMATO* ECCLESIAE *MONTIS ANGELORUM* IN FEUDUM LOCAVIT.

Autographum pergamenum in Archivo Abbatiae *Engelberg* Dioec. Constant. signatur. d. 5.

Arnoldus (1) Dei gratia Muorbacensium & Lucernensium Monasteriorum vocatus Abbas omnibus Christi fidelibus. Cognoscat successio futurorum, qualiter nostra cessione & voluntate Ecclesia *Montis Angelorum* quoddam pratum in *Eilsmato* (2) a quibusdam nostre Ecclesie hominibus emit competenti pecunia. quod idem pratum consensu fratrum nostrorum & Ministerialium nos jam dicte Ecclesie *Montis Angelorum* in feodo concessimus ea ratione, ut pauperes Christi sepedicte Ecclesie Nobis idem solvant tributum, quod nostros homines constat semper solvisse, videlicet V. nummos Turicensium in festo (3) beate *Verene*. feliciter. Et ut ista rata & inconvulsa perpetuo permaneant, nos presens rescriptum Sigilli (4) nostri impressione roboravimus. feliciter. Amen.

(1) *Arnoldus* nobilis vir de *Rotenberg* prope *Lucernam* tunc regebat Abbatias Murbacensem & Lucernensem. Extat apud *Herrgottum Vol. II. Geneal. Habsburg. p. 205. sq.* Carta, qua *Arnoldus* Morbacensium & Lucernensium monasteriorum

rum

rum Abbas & *Rudolfus* comes de *Habifspurh* & Castaldus Morbacensis quaedam loca pascuosa in *Eilsmate* & in *Vallintebach* & in *Wisoberch* sita & Ecclesiae Lucernensi obligata, monasterio *Montis Angelorum* sub tributo annuali, hereditario jure concesserunt, hoc quidem pacto, ut singulis annis de Ecclesia *Montis Angelorum* Ecclesiae Lucernensi duo ferramenta in festo sanctae *Verenae* in littore stannis persolvantur, & ipso nunc Abbate *Henrico* decedente. omnes sibi succedentes Abbates *Montis Angelorum* debeant Praepositum Lucernensem adire, duo ferramenta sibi in honorem deferre & ab ipso suscipere soepedicta beneficia. Actum in loco Lucernensi Anno Dominicae Incarnationis MCLXXXXIX Indictione II. XIV. Kal. Martii (6. febr.) cum sigillis praefatorum *Arnoldi* Abbatis Morbacensis & Castaldi ipsius *Rudolfi* de *Habisburch*. Castaldus, id est, advocatus, item gubernator alicuius monasterii, vice-Dominus, Praefectus. *du Cange*. *Webneri observat. pract. litt. A.* voce *Amman*. Superest & apud eundem *Herrgottum l. c. p. 220.* instrumentum, quo *Arnoldus* Morbacensium & Lucernensium Ecclesiarum Abbas, *Rudolfus* quoque Lantgravius Alsatiae & Castaldus earundem Ecclesiarum, pascuosa in *Eilsmate* & in *Vallindebach* & in *Wisoberch* delegaverunt coenobio *Montis Angelorum*, rogatu *Henrici* eiusdem coenobii Abbatis pro alio praedio in *Lunchunfts* (hodie *Lunkhofen* prope *Bremgarten*) &c. Acta sunt haec in *Lucern* 1213. Adhuc anno 1216 *Arnoldus* Murbacensis Abbas vivebat, sicut docet carta eiusdem anni apud *Schoepfflinum Alsat. Diplom. T. I. p. 330—332.*

(2) Hodie *Eschlismate* vel *Escholzmate*, pagus & numerosa parochia in valle *Entlibuch*, ditione Rei-

Reipublicae Lucernensis. *Leu Histor. Helveticae Lexicon T. VI. p. 443. sq.*

(3) Festum S. *Verenae* virginis die 1ma Septembris.

(4) Pendet sigillum *Arnoldi* Abbatis cereum, quod imaginem sancti *Benedicti* exhibet.

XL.

Apostolice sedis iudices delegati in lite inter *Rod. C.* de *Rapperschwil* & Comitem *Cel.* de *Chiburg* ex una parte & Dominam Abbatissam Thuricensem ex altera, attestantur sequentem translationem de partium assensu & judicum Delegatorum authoritate esse factam, quod Delegatus Abbatisse, quantum ad jus fundi Ecclesiam *Rumlang* renunciavit, cum jure patronatus, quod judices tradiderunt Advocato de *Rapperschwil* sub nomine feudi a comite de *Chiburg* possidendum. E converso dictus comes, Advocatus & fratres sui renunciaverunt decimis in *Seebach*, *Reckenholz*, eas Abbatisse possidendas tradentes.
M. CC. XII. *)

*) Talem titulum praefert Originale in scriniis Abbatiae Turicensis *Frauen - Münster*, e quibus exemplar suis eiusdem Abbatiae actis inseruit pag. 36. sq. *Erhardus Dursteler* Tigurinus, quod exemplar etiam extat *Tugii Tom. VIII. Monumentorum MSS. Tugio Helveticorum pag. 96. sq.* in Bibliotheca Liberi Baronis de *Zurlauben* castrorum Mareschalli in Regis Christianissimi exercitibus

Ne

Ne contra res judicatas aut amicabili transactione definitas lis nova denuo suscitetur, expedit eas scripti memoria recipere firmitatem. Noscant igitur & presentes & posteri, quod cum discordia verteretur inter *Ro.* (a) advocatum de *Rapperschwilare* & comitem *Ul.* (b) de *Chiburg* ex una parte & Dominam Abbatissam (c) *A.* Thuricensem ex altera parte, super jure patronatus in Ecclesia (d) de *Rumlang* & super decimis in *Seebach* (e) & *Rechenholz* (f) & *Binza* (g) & Dominus *A.* (h) Curiensis Episcopus & Dominus Abbas Weingartensis (i) nec non Magister (k) *M.* Scholasticus Argentinensis Apostolice sedis iudices super hac causa delegati citationibus ante memoratis presentibus parati essent mandatum Apostolicum, talis intercessit transactio & de partium supradictarum assensu & delegatorum judicum authoritate, quod *Henricus* Clericus, qui de manu Domine Abbatisse memorate, quantum ad jus fundi Ecclesiam de *Rumlang* acceperat, juri suo in manu delegatorum renunciavit, & insuper dictus Prepositus (l) Thurecensis, qui procurabat causam Abbatisse & sigillum ejus pro ratihabitione judicibus ostendit, ex parte & nomine ipsius Abbatisse jus patronatus in manu judicum delegatorum renunciavit & ipsi judices assignaverunt & tradiderunt dictum jus patronatus Advocato de *Rapperschwilare* perpetuo sub nomine feudi a Comite de *Chiburg* & suis successoribus tenendum & possidendum sibi & suis heredibus. E converso tam dictus comes, quum etiam memoratus Advocatus & fratres sui *H.* & *Ul.* renunciaverunt decimis in

ſupradictis locis denominatis, ſcilicet in *Seebach* & *Rechenholz* & *Binza*, in manu judicum delegatorum. ſimiliter & omni juri quod habere videbantur in ipſis decimis. Et ipſi judices authoritate, qua fungebantur, aſſignaverunt & preſentialiter tradiderunt illas decimas Prepoſito Procuratori Domine Abbatiſſe vice & ejus nomine, ut ipſa & ejus monaſterium debeant ipſas decimas perpetuo abſque alicuius hominis contradictione quiete poſſidere. ita tamen. quod *Henricus* clericus. Cui Abbatiſſa prius nomine patronatus Eccleſiam ſupradictam contulerat, in recompenſationem laboris, quem pro cauſa controverſie ſuſtinuit, quiete ad tempora vite ſue decimas easdem poſſideat. quo decedente ad Monaſterium Thuricenſe revertanur. Hec autem acta ſunt in preſentia & ſub teſtimonio (n) ſancti *Galli* conſtantienſis diocefis & Fabarienſis (o) Abbatum & Prepoſiti *W.* (p) Majoris Eccleſie Conſtantienſis & Prepoſiti *V.* (q) Majoris Curienſis Eccleſie & aliorum multorum tam clericorum quam laicorum. Anno Incarnationis M°. CC°. XII°. Indictione XV. (r) Ad cujus rei certitudinem poſteris oſtendendam judices delegati ſcriptum hoc ſigillis ſuis roboraverunt.

(a) Comites de *Rapperſchweil*, primitus Advocati, de *Rapperſchweil* nominabantur ob advocacatiam Abbatiae Deiparae Heremitarum vulgo *Einſidlen*, a quo jure beneficiario varias tenebant Dynaſtias. *Rodolphus*, de quo noſtra agit carta, in plurimis Caeſarum diplomatibus eſt notiſſimus. Extat apud *joannem* a *Boſco* in libro, cujus

cujus titulus: Antiquae sanctae ac senatoriae *Viennae Allobrogum* sacrae & profanae plurimae antiquitates nec non Primatum eius & Archiepiscoporum elenchus Historicus pag. 90. sq. ad calcem Floriacensis Veteris Bibliothecae Benedictinae *Lugduni* 1605 in 8. Diploma *Friderici* II. Imperatoris in gratiam *Humberti* Archiepiscopi Viennensis datum *Basiliae* M. CC XIV. Indict. III. IX Kalend. Decembr. cujus testes fuerunt *Fridericus* Treverensis, *Amedeus* Bisuntinensis Archiepiscopi. *Desiderius* Dyensis (*Digne* in comitatu Provinciae) *Conradus* constantiensis, *Henricus* Argentinensis, *Waldricus* Basileensis Electus, *Gaufridus* Tricastinus Episcopi. *Otho* Dux *Meraniae*. comites: *Rudulphus* de *Hauspec* (*Habspurch*) *Fridericus* de *Ferreto*. *Henricus* de *Niphen* (*Neissen*) *Anselmus* de *justingen*. *Rodulphus* Advocatus de *Raprebitsuuilarc*. *Valterius* pincerna de *Cimpfen*. *Fredericus* de *Escombore*. *Conrado* spirensi & Metensi Episcopo Cancellario, vice Domini *Humberti* Viennensis Archiepiscopi, totius Regni Burgundiae *) Archicancellarii recognitore.

*) Tunc temporis Archicancellarii Regni Burgundiae seu Arelatensis nondum erant Archiepiscopi Trevirenses sed Viennenses.

(b) *Ulricus* nempe comes de *Kiburg* unus e potentissimis Helvetiae Magnatibus.

(c) Abbatissa Turicensis, cujus nomen littera initialis *A*. indicat, forsan appellabatur *Anna*.

(d) *Rumlang* hodie *Rumlingen*, praefectura, Reipublicae Turicensis, sita ad fluviolum *Glat*, duabus leucis distat a civitate *Zurich* alias *Thurico* vel *Tiguro*. Pagus hujus nominis ruderibus castri celebris, ubi habitabant olim nobiles de *Rumlang*, quorum ultimus *Sebastianus* an. 1528.

 obiit.

obiit. Hi quoque nobiles inter varia dominia Dynaſtiam *Wulfflingen* poſſidebant. Arx autem *Rumlang* a Tigurinis in bello ſempacenſi an. 1387. fuerat vaſtata. *Leu hiſtor. Helvetiae Lexicon T. XV. p. 531. 536.*

(e) *Seebach*, pagus, cujus nomen derivatur a quodam rivo e laculo *Katzenſee* effluente, habet filialem Eccleſiam Praepoſiturae Thuricenſis, ſitus eſt in praefectura Thuricenſi *Schwamendingen & Dubendorff*, quam irrigat fluviolus *Glat*, eſtque vicina praefecturae *Rumlang*. *Leu. l. c. T. XVII. p.* 7.

(f) *Rechenholz*. diſparuit. videtur fuiſſe vicinus parochiis *Seebach & Rumlang*.

(g) *Binza*, forſan *Binzmuhle*, molendinum in praefectura Turicenſi *Schwamendingen & Dubendorff* in parochia autem *Seebach. Leu. l. c. T. IV. p. 79.*

(h) Curienſis Epiſcopus apud Rhoetos tunc erat *Arnoldus* comes vel Liber Baro de *Maetoch* vel ab *Amatia*. obiit 1221.

(i) Abbas *B. Weingarten*. Nomen huius Abbatis eſt hic oblitteratum, forſan *Berchtoldus* vocabatur, cujus ſanctitatem celebrat *Bucelinus* ſub annis 1202 & 1211. *Conſtant. ſacra & profana p. 258. & 260. Francofurti 1668. 4.*

(k) Magiſter *M.* Scholaſticus Argentinenſis, idem, qui *Marcus* in chartis annorum 1211 & 1218. memoratur.

(l) Praepoſitus . . Thurecenſis. nomen oblitteratum videtur in Originali Carta. Erat fors *Rudolfus*, de quo carta an. 1207. extat apud *Herrgottum l. cit.*

(m)

(m) Fratres ſui *H.* & *V.* Scilicet *Henricus* & *Ulricus* pluribus celebres cartis, praecipue *Henricus* dictus *Wandelbare* propter ſuas ſacras peregrinationes. is fundavit an. 1227. Abbatiam ciſtercienſium *Wettingen* in dioeceſi Conſtantienſi, apud Helvetios in Argovia Badenſi.

(n) S. *Galli* Abbas an. 1212. erat *Ulricus* Liber Baro de *Sax* vel *Hotenſax* ab an. 1204 — 22. ſept. 1219.

(o) Fabarienſis vulgo *Pfeffers* Abbatiae in Dioeceſi Curienſi Abbas erat an. 1212. *Conradus* I. poſtulatus e Monaſterio Zwifaltenſi, ut patet ex Annalibus Zwifaltenſibus *Sulgeri.*

(p) Majoris Eccleſiae Conſtantienſis Praepoſitus vel *Waltherus* vel *Wernherus.*

(q) Praepoſitus *V.* Majoris Eccleſiae Curienſis, fortaſſe *Udalricus.*

(r) Indictio XV. currebat an. 1212.

XLI.

FRIDERICUS ROM. REX. ECCLESIAM LUTRENSEM IN PROTECTIONEM SUSCIPIT.

Fridericus Dei gratia Romanorum Rex . . . notum facimus univerſis tam praeſentibus quam futuris, quod nos de ſolita gratia & conſueta benignitatis noſtrae clementia Eccleſiam *Lutrenſem* ſitam in Archiepiſcopatu *Biſuntino* ſub noſtra ſpe-

ciali protectione & deffensione recipimus tam monachos quam caeteros homines nec non omnes possessiones & jura ad eam Ecclesiam pertinentia, confirmantes eidem omnes bonos usus & bonas consuetudines, quibus olim tempore Domini *Friderici* avi nostri & Domini *Henrici* patris nostri felicis memoriae & aliorum Regum uti consuevit, mandantes & firmiter statuentes, ut nullus amodo praefatam Ecclesiam de praedictis omnibus offendere vel molestare praesumat. Datum apud *Brisacum* Anno Dominicae Incarnat. MCCXVIII. VII. Kal. Aprilis Ind. VI.

Ex autographo Abbatiae Lutrensis.

26. Mart.

XLII.

HONORIUS III. PP. ABBATIAM SCHWARZACENSEM IN SUIS BONIS ET IMMUNITATIBUS CONFIRMAT.

Ex autographo Tabularii Abbatiae Schwarzacensis.

H*onorius* Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui de *Svarzba* salutem & apostolicam benedictonem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii,

filii, veſtris juſtis poſtulacionibus parato concurrentes aſſenſu perſonas veſtras & locum, in quo divino eſtis obſequio mancipati cum omnibus bonis veſtris, que impreſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis, preſtante domino, poteritis adipſci, ſub beati *Petri* & *Pauli* protectione ſuſcipimus, ſpecialiter autem libertates & immunitates a bone memorie *Johanne* Episcopo ſpirenſi, Epiſcopatus ſui accedente conſenſu, pia liberalitate monaſterio veſtro conceſſas, ſicut in inſtrumento videtur & in eo plenius continetur, vobis & per vos eidem Monaſterio veſtro auctoritate apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre directionis & confirmationis infringere. &c. Datum *Romae* apud Sanctum *Petrum* VI. idus Maii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

XLIII.

HENRICUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS MONASTERIO S. *ARBOGASTI* NONAM PARTEM FRUCTUUM DE CURTIBUS SUAE DIOECESIS EIDEM MONASTERIO AB *HETZELONE* EPISCOPO SECULO XI. DONATAM CONFIRMAT.

Ex chartulario antiquo ſive libro indulgentiarum, privilegiorum & ſtatutorum Eccleſiae S. *Arbogaſti* fol. 15. in Tabulario Tabernenſi. (*)

In nomine ſančte & individue Trinitatis. *Heinricus* Dei gratia argentinenſium Epiſcopus, Univerſis ad quos preſens ſcriptum pervenerit, in perpetuum. Sollicitudo paſtoralis officii nos amonet ſubjectorum nobis omnium curam gerere, eorum tamen maxima, qui, relicto ſeculo, regulari ſubjacent discipline. Hujus rei gratia preſentium poſterorumque noticie ſignificamus, quod quondam predeceſſor noſter nomine *Hetzelino* felicis memoriae divina inſpiratione ſimul & commonicione commonitus nonam partem fructuum de curtibus noſtrae dyoceſis, laude & aſſenſu capituli noſtri conceſſit Eccleſie ſancti *Arbogaſti*, quem perpetuo poſſidendam Condidit, quocunque glorioſa merita Epiſcopatus noſtri termini magnifice fuerant ampliati. Verum quia vetuſtas inimica eſt memorie, nos in hac donatione nichil novum ſtatuentes, eandem laudabilem donationem eidem loco ſcripti tenore innovamus, ita etiam, ut ſi quando aliquid de curtibus diſtrahi con-

contingeret, prefate Ecclesie sua justitia salva consistat, sed ne quid dein in tempus super hoc facto iniusta oriatur vexatio presentem paginam jam dicto loco sigilli nostri munimine tradimus roboratam. Actum presentibus & approbantibus majoris ecclesie nostre fratribus *Reinhardo* preposito, *Ebernhardo* Decano, *Friderico* Cantore, *Marco* Scolastico, *Bertholdo* preposito Honaugiensi; & *Heinrico* fratre suo, *Bertholdo* archidiacono, *Ulrico* Dapifero, *Beringero* Spirensi cantore, *Ulrico* de *Dalmasingen*, *Ruodolffo* sancti *Thome* preposito, *Ottone* de *Bonvelt*, *Diethelmo*, *Heinrico* vicedomino nostro *Wernhero* Marschalko tribus fratribus *Ludevico*, *Diettherico*, *Alberto* dictis *Kagen*, duobus fratribus *Alberto*, & *Wernhero* dictis *Beger*, duobus fratribus *Gotfrido*, & *Hunberto Zydelere*, *Walthero* filio sculteti *Waltheri* civilis, *Friderico* spendario, *Burckardo* sculteto de *Ebenheim*, *Erbone* judice, *Petro Wezelone* judice, *Conrado vitulo*, *Burchardo Ripelin*, & aliis quam pluribus. Anno dominice Incarnationis M. CC. XVIII. pontificatus nostri anno sexto decimo.

*) Extractus hujus Chartae reperitur *in Gallia Christiana T. V.* inter instrumenta *pag. 482.*

XLIV.

HONORIUS III. PP. ABBATEM SCHWARZACENSEM AB INIQUIS OFFICIALIUM EPISCOPI SPIRENSIS EXTORSIONIBUS LIBERAT.

Ex authentico tabularii Abbatiae Schwarzacenſis.

H*onorius* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabili fratri epiſcopo & dilectis filiis, prepoſito & Scholaſtico argentinenſibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem, ex parte dilectorum filiorum abbatis & conventus de *Svarzabe*, noſtro eſt apoſtolatui referatum quod cum is, qui pro tempore in eodem monaſterio eligitur in abbatem, a Venerabili fratre noſtro ſprirenſi epiſcopo temporalia recipere teneatur; officiales ipſius Epiſcopi minime attendentes quantum ex hoc ſuum offendant graviter creatorem, non ſine vicio ſimoniace pravitatis contra ſtatuta concilii generalis pravam conſuetudinem ad ſue iniquitatis cumulum allegando, ab electo ipſo pecuniam & res alias ſatagunt extorquere, propter quod dictum monaſterium dampna gravia & injurias plurimas noſcitur incurriſſe. volentes autem tanto facinori obviare, diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus officiales eosdem ut ab eiusdem monaſterii ſuper hiis de cetero moleſtacione indebita conquieſcant, monitione premiſſa per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, ſicut juſtum fuerit, compellatis. quod ſi non omnes

omnes his exequendis potueritis intereſſe, tu ea frater Epiſcope, cum eorum altero nichilominus exequaris. Datum *Romae* apud ſanctum *Petrum* XVII. Kalendas junii pontificatus noſtri anno ſecundo. (a)

16. Maji.

(a) Venerabili in *Christo* Dei gratia ſpirenſi Episcopo, Majoris Ecelesiae Capitulo, totique clero Spirenſis Dioeceſis hujus bullae apographum transmiſerunt Argentinenſis Eccleſiae Epiſcopus, Praepoſitus & Scolaſticus Argentinenſes Domini Papae executores, eis exoptantes ſalutem & aeternae vitae beatitudinem. Litterae ſic transmiſſae, cum ipſum authenticum in nulla ſui parte viciatum ad eos deferre propter viarum diſcrimina fuerit utique periculoſum; in fine ſic ſonant: *Guntherus* presbyter reſcripſit haec Anno Domini MCCXXX, VII. Idus Octobris, Abbatiam in *Svarzahe* tenente venerabili Domino *johanne*, conſecrationis eius anno primo, regnante Rege *Heinrico*, Papatum tenente Domino *Gregorio*.

XLV.

XLV.

FRIDERICUS II. REX ROM. *ALBERONI* ABBATI NEOBURGENSI JUS PASCUI ET LIGNORUM IN *SACRA SYLVA* CONFIRMANS, EJUSDEM ABBATIAE BONA, POSSESSIONES, JURA ET LIBERTATES RENOVAT.

Ex autographo Tabularij Abbatiae Neoburgensis.

In nomine sancte & individue Trinitatis, *Fridericus secundus* divina favente clementia Romanorum Rex & semper augustus & Rex Sycilie. pium desiderium, quod ad religionis propositum pertingere cognoscitur, regalem benignitatem libenti animo decet admittere & in omnibus suffragium & levamen prestare. Qua propter notum esse volumus omnibus Christi imperiique fidelibus, tam futuris quam presentibus, quod nos locum, qui dicitur, *Nuwenburch* a *Reginoldo* quondam comite de *Lucelenburch* & beate memorie *Friderico* proavo nostro ordini cysterciensi contraditum, qui ex hereditario jure ad nos spectare videtur, ob meritum retributionis eterne & ad supplicationem dilecti nostri *Alberonis* eiusdem loci abbatis in protectionem & defensionem nostre regalis Majestatis suscipimus cum &c. (*& reliqua ut in Diplomate Friderici* I. *dato* 27. *februarii* 1158) firma & illibata manere censemus regali quoque clementia indulgentes, ut quicunque ministerialium nostrorum, & hominum fiscalinorum, sive etiam ab allo-

allodiis nostris infeodatorum, Sive Sanus & sui compos existens, vel in lecto egritudinis decubans, se & predia sua ad sepe dictum locum transferre voluerint, libere & absque voluntatis nostre consensu facere possint requisitione, concessimus etiam eidem predicto loco & imperpetuum donavimus, ut animalia eorum libere utantur pascuis in *sacra silva*, ovibus tantum exceptis! ligna vero ad omnium officinarum suarum ignem faciendum similiter eis concessimus. ad offerenda autem ligna pro domorum structura de prenominata silva non nisi juxta consignationem & permissionem ministri nostri accipiant. loca autem, que in presentiarum possident, propriis duximus exprimenda vocabulis. Curtem *Gerboldishusen* cum appendiciis suis, curtem *Lupach* c. a. s., curtem *Wilinbach* c. a. s. curtem *paphenburnen* c. a. s. curtem *Mulinbach*. c. a. s., curtem *ergereswilre*. c. a. s., curtem *Honscheit*. c. a. s., curtem *Suvelnheim* c. a. s. curtem *Hechenheim* c. a. s., curtem *Hasthusen* c. a. s, curtem *Dochendorf*. c. a. s. curtem *Hitindorf* c. a. s., curtem *Dunnenheim* c. a. s. curtem *Gerute* c. a. s. curtem *huthenheim* c. a. s. curtem *Delmannswilre* c. a. s. curtem *Rotbach* c. a. s., curtem *Kirwilre*. c. a. s. porro quicquid apostolica cisterciensi ordini indulsit clementia nostra regali confirmamus auctoritate loco nominato statuimus itaque & regio firmiter sancimus edicto, ut nulla omnino persona humilis vel alta, ecclesiastica vel secularis hanc nostre confirmationis divalem paginam audeat infringere, vel ei ausu temerario

rario contraire. Quod ſi quis facere attemptaverit, ſi reatum ſuum infra XL dies congrua ſatisfactione non correxerit, banno noſtro ſe noverit innodatum & pro pena temeritatis quinquaginta libras auri puriſſimi componat, medietatem camere noſtre, partem reliquam eccleſie cui dampnum intulit, ad cuius rei certam in poſterum evidentiam preſens exinde privilegium conſcriptum ſigilli noſtri inpreſſione juſſimus communiri. Teſtes hujus rei ſunt *Heinricus* Argentinenſis Episcopus, *Heinricus* Baſilienſis Epiſcopus, Abbas S. *Galli*, *Hugo* Murbacenſis abbas, *Wolframus* abbas de *Wizenburch*, *Reinhardus* majoris argentinenſis eccleſie prepoſitus, *bertholdus* eiusdem ecclesie Decanus, *Cunradus* de *Tan* ſpirenſis prepoſitus, *Heinricus* Argentinenſis Epiſcopi vicedominus, *Heinricus* dux ſuevie, *Theobaldus* Dux Loteringie, *Wilhelmus* marchio comes de *monte ferrato*, *Gerhardus* comes de S. *Dielhis*. *Sygebertus* comes & *Heinricus* filius ſuus de *Werda*, *Anſelmus* Marſchalcus, *Heinricus* de *Nive*, *Everhardus* Dapifer de *Walberch* & alii quam plures. Signum domini *friderici* ſecundi Romanorum Regis invictiſſimi & Regis ſycilie. Ego *Chunradus* Metenſis & ſpirenſis Epiſcopus Imperialis aule cancellarius recognovi. Acta ſunt hec anno domin. incarnat. M. CC. XVIIII. Indict. VII. regnante domno *friderico* ſecundo Roman. rege glorioſo & rege ſycilie, anno regni eius VII. datum apud *Hagenowe* XVI. Kal. Septembris.

17. Aug.

XLVI.

XLVI.

FRIDERICUS II. REX ROM. ABBATIAE NEOBURGENSI QUAEDAM BONA IN *HAGENAU*, *HUITTENDORFF* ET *ESCHBACH* SITA, CONSENTIENTE FILIO SUO *HENRICO* DUCE SUEVIAE CONCEDIT.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgensis. fol. 16. b.

F*ridericus* Dei gracia Romanorum Rex & semper augustus & Rex Sycilie presentibus & futuris omnibus hoc cyrographum inspicientibus gratiam suam & omne bonum. Sicut antiqui dive memorie Venerablies & gloriosi progenitores nostri usque ad tempora nostra monasterium in predio nostro situm, quod *novum castrum* dicitur, dilexerunt., foverunt & carum habuerunt, ita quoque nos eundem locum admodum affectuose diligimus & carissimum habemus, cunctosque fratres ibidem Deo omnipotenti & beate eius genitrici sancte *Marie* famulantes & pro nostra salute Domino supplicantes sub umbra nostre defensionis atque protectionis prospere & in habundantia pacis degere desideramus & licet auctoritate regali universis Locis divino cultui mancipatis studium defensionis debemus adhibere, huic tamen precipue ceterisque, que nostram ditionem inciderunt hereditario jure, peramplius & perfectius omnibus modis tenemur prodesse & providere unde, quod absit, eis non sua violenter tollere, sed nostra

ſtra propria ſibi benigne atque clementer decrevimus impendere. Noverint igitur omnes hanc ſcripturam ſuſcipientes, quod nos & Kariſſimus filius noſter Dux ſuevie *Heinricus* communi conſenſu unaque manu omnes poſſeſſiones, quas quidám *Heinricus* ſervus noſter cognomento *Rex* & alter quidam venator noſter cognomento *Elba* ex conceſſione gratie noſtre in *Hagenowa*, in *Hittindorf* & in *Absbach*, *) uſque ad terminum vite ſue, poſterorum ſuorum vel cognatorum omnium excluſo tamen hereditario jure poſſederunt, omnipotenti Deo & beate *Marie* fratribuſque in *novo caſtro* in perpetuam proprietatem legitima donatione donavimus, ea ſane ratione ſcilicet ut curiam *ruvelnbeim*, quam de communi conſenſu predictorum fratrum novi caſtrenſium abbatiſque voluntate, in uſus noſtros vendicatum edificavimus, abſque tocius peccati nevo, vel ſeculari obprobrii ſcrupulo retinere valeamus, ſperantes etiam, ut jam dicti fratres memoriam noſtri proventumque noſtrorum tanto devotius & alacrius habeant ad Dominum, quantum pro predicta curia melioris reconpenſationis ſe cognoverint habere teſtamentum. ut autem hujus recompenſationis vel concambii donatio jam dictis fratribus rata inconvulſaque permaneat in perpetuum volumus & diſtricte precipimus, quin etiam Sigillorum noſtrorum auctoritate hanc cyrographiam roboramus. Si quis vero huic facto noſtro qualibet occaſione occurrere temptaverit & in his poſſeſſionibus ſepedictos fratres noſtros aliquo modo gravaverit, ſciat

*) Hod *Eſchbach.*

ſciat quod noſtre Majeſtatis clementiam graviter offendat & digna pro factis recipiat. Scripta ſunt autem hec anno ab incarn. Domin. M. CC. XVIIII. epacta III. concurrente, indictione VII. coram his teſtibus, *Chunrado* Cancellario Spirenſi & Metenſi epiſcopo, *Theobaldo* duce Lotharingie, *Ludewico* Marchione de *Baddin*, comite & *Erbardo* de *Liphimtein*, *Heinrico* de *Stiphyn*, *Anſelmo* Marſcalco de *juſtingen*, *richardo* camerario, comite *Sygeberto* & filio ejus *Heinrico*, *Merbotone* de *Malberch*, *Marquardo* notario, & *Witero* ſcriba, *Wolfelino*, ſculteto de *Hagenowa*, *Heinrico* de *Winſtein*, *Ludewico* prepoſito de *Hagenowia*, *Sefrido* Marſchalco, *Heinrico* Camerario de *revinringen*, *Hartungo* ſcolteto de *Hofelden* & aliis quam pluribus. acta ſunt hec tempore domni *Alberonis* Abbatis.

XLVII.

CAPITULUM ARGENTINENSE MAJUS AREAM IN *ARGENTINA* SITAM SUB ANNUO CENSU *WALTHERO* AURIFICI CONCEDIT.

Ex libro ſalico Capituli Majoris Argentinenſis fol. 27.

R*einhardus* Prepoſitus, *B.* Decanus, *T.* Cantor, *U.* Scholaſticus, totumque capitulum Majoris eccleſie in *Argentina*. Notum ſit univerſis Chriſti fidelibus tam preſentis etatis, quam futu-

re posteritatis presens scriptum audientibus, quod nos de communi consilio aream unam, juxta curiam domine *Irmengardis* sitam, quam ex donatione felicis memorie *Eberhardi* filii domini *Walthéri* & Domine *Hedewigis* uxoris fratris sui domini *Walthéri* habuimus, *Waltero* aurifici hereditario jure perpetualiter possidendam concessimus, tali tamen pacto interposito, ut annuatim in festo sancti *Johannis Baptiste* IIII uncias, & in Nativitate Domini IIII uncias, & in festo sancti *Martini* II capones, omni ambiguitate remota, nobis persolvant, heredes quoque sui & omnium possessores istius aree in mutatione medietatem census, qui vulgo dicitur *Erschatz* dare non tenentur, nisi forte per donationem vel vendicionem ad aliorum manus devolvatur. Illi tantum daturi sunt honoris causa, quantum est medietas census. Insuper in pactione positum est, quod si istius aree possessores in terminis pretaxatis debitum censum non exsolverint, & contra voluntatem nostram detinere presumpserint, stabilitatem ulterius non habeat hec nostra concessio, scilicet eadem area libere ad manus nostras revolvatur. Et ut res ista firmior maneret atque stabilior, ea fecimus mandari Litteris & sigilli nostri munimine corroborari. Actum publice anno Incarnationis Domini MCCXIX, indictione VII.

XLVIII.

XLVIII.

HONORIUS III. PP. CLERO CIVITATIS ET DIOECESIS ARGENTINENSIS PRO CC. MARCIS ARGENTI REMITTIT VICESIMAM A CONCILIO GENERALI LATERANENSI IMPOSITAM.

Ex libro falico Capituli Argentinenfis fol. 45.

Honorius Epifcopus fervus fervorum Dei, dilectis filiis *R.* majori Prepofito, & *A.* majoris Ecclefie Canonico & *B.* Sancti *Petri* cuftodi, argent. falutem & apoftolicam benedictionem. Exhibete nobis ex parte venerabilis fratris noftri argentinenfis Epifcopi & dilectorum filiorum cleri atque tam civitatis, quam diocefis argentinenfis littere continebant, quod eo fuggerente, qui bonis confuevit actibus invidere, a tempore concilii generalis guerris continuis regionis afflicti graviter & oppreffi, ac alias rapinis & incendiis multipliciter laceffiti, tantam fterilitatem in anno fuftinere prefenti, quod vitam inopem deducentes vix poffint de tot calamitatibus refpirare. Unde nobis ex parte memorati cleri per nos dilectos filios *A.* majoris Ecclefie Canonicum & *B.* Sancti *Petri* cuftodem argentinenfem ad hoc fpecialiter deftinatos fuit humiliter fupplicatum, ut cum propter premiffa & alia impedimenta juxta prefati ftatuta concilii vicefimam non perfolverint, ac velint in recompenfationem ipfius certam folvere pecunie quantitatem, fcilicet ducentas marcas argenti fecundum mandatum noftrum pro fub-

ſidio terre ſancte, ne ſententia excommunicationis in detentores ipſius viceſime promulgata ligentur, providere de benignitate ſedis apoſtolice dignaremur. Nos igitur ipſius cleri miſeriam miſericorditer miſerantes, & paupertati compacientes, ipſius oblatam per vos *A.* & *B.* nuncios pecuniam acceptavimus, eidem Epiſcopo noſtris dantes litteris in preceptis, ut viros idoneos & honeſtos de civitate ac dioceſi ſupradictis eligere ſtudeat ſine mora, qui facultatibus & aliis circumſtantiis ipſius cleri diligentius indagatis taxare ſtudeant, quid de ſolutione ipſius pecunie contingat quemlibet eorundem. Idemque ipſos infra quindecim dies poſt receptionem preſentium ſublato cujuslibet contradictionis & appellationis obſtaculo, ad id per cenſuram eccleſiaſticam compellere non omittat. Quocirca diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta precipiendo mandamus, quatinus ſi dictus Epiſcopus preceptum noſtrum neglexerit adimplere, vos ſiqui clericorum ipſorum ultra predictum tempus ſolvere diſtulerint de memorata pecunia partem ſuam preter excommunicationis ſententiam quam incurrent, ex tunc eos ad integram ſolucionem viceſime per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellatis. quod ſi non omnibus his exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum *Viterbii* Idus februarii, pontificatus noſtri anno quarto.

13. Febr.

XLIX.

XLIX.

HEINRICUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS REDITUS ECCLESIAE PAROCHIALIS SUPERIORIS IN *MAURMUINSTER* CONCEDIT MAURI MONASTERIENSI ABBATIAE.

Ex autographo Abbatiae Mauri monaſterienſis.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Heinricus* miſeratione divina argentinenſis miniſter humilis, univerſis Chriſti fidelibus hanc paginam inſpecturis. Charitatis ordinate veriſſimum ſolet eſſe indicium, cum patres filiorum inopie condolentes eis Theſaurizant, & ne ab incepto boni operis propoſito propter inopiam humanarum neceſſitatum deficiant, paterna ſollicitudine in futurum eis providere non omittunt. qua propter ad notitiam preſentium ac futurorum pervenire, & eorum memorie arctius impreſſum eſſe deſideramus, qualiter abbatia *Maurimonaſterii* nomine in regulari diſciplina devota ſemper aſſiſtens adeo ſit attenuata, quod nec pauci fratres ibidem Deo famulantes in tenui victu poſſint ſuſtentari, quoniam propter Regum diſſenſiones & diuturnas imperii perturbationes, & propter indebitas advocatorum exactiones, propter bella & incendia, que Duces & primates inferre ſolent, idem cenobium magnum defectum temporalium patitur. Nos igitur benignitatis noſtre patrocinio illud intuentes ad ſtatum meliorem revocare curavimus tempore oportuno: habito ſiquidem concilio Religioſarum perſonarum, qualiter periclitanti clauſtro ſubvenire

nire

nire possemus, Parochiam superiorem nomine, cujus patronatus ad prefatum cenobium pertinere dignoscitur, sine quolibet contradictionis obstaculo, salvo tamen jure cathedralis Ecclesie, eidem cenobio pleno jure in perpetuum concessimus, ita ut secundum provisionem abbatis in eadem Ecclesia vicarius idoneus & honestus instituatur, & nobis de subditis suis respondere teneatur, qui etiam ab abbate prebendam sibi habeat assignatam, Abbas vero & conventus omnes proventus tam parochialis Ecclesie, quam Capellarum cum omni integritate percipiant. Ad hujus igitur concessionis nostrae confirmationem presentem paginam tam sigilli quam banni nostri munimine duximus roborandum. Datum apud *argentinam* secundo Kalendas septembris, anno dominice incarnationis. MCC. XX. Ego *Henricus* argentinensis Episcopus, potestate ligandi atque solvendi a Deo mihi concessa; omnibus tam pio facto obviantibus sive contradicentibus & infringere cupientibus januas regni celestis intercludo, mortis & inferni aperio cum *Diocletiano* & *Maximiano* cruciandos trado.

31. Aug.

L.

HONORIUS III. PP. CONFIRMAT UNIONEM PAROCHIALIS ECCLESIAE SUPERIORIS IN *MAURMUINSTER* ABBATIAE MAURIMONASTERIENSI FACTAM.

Ex autographo Abbatiae Maurimonasterienſis.

H*onorius* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, abbati & conventui *Maurimonaſterii* ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, parochiam in villa de *Obernechirben*, in qua jus patronatus veſtrum monaſterium obtinebat, a venerabili fratre noſtro argentinenſi Epiſcopo, capituli ſui accedente conſenſu, pia vobis liberalitate conceſſam, ſicut in eius autentico exinde confecto dicitur plenius contineri, ſicut eam juſte ac pacifice poſſidetis vobis, & per vos monaſterio veſtro authoritate apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire ſi quis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum apud *Urbem Veterem*

VII. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno quinto.

25. Sept.

LI.

HONORIUS III. PP. ABBATIAE INFERIORIS MONASTERII IN *HOHENBURG*, BONA, PRAESERTIM IN *GOECKSWEILER* CONFIRMAT.

Ex autographo tabularii Episcopalis Tabernis Alsaticis.

Honorius Episcopus servus servorum Dei, Dilectis in Christo filiabus, abbatisse & conventui monasterii inferioris in *Hohenborc* salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecte in *Christo* filie, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas & monasterium vestrum, in quo divino estis obsequio mancipate, cum omnibus bonis, que in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, prestante domino, poteritis adipisci sub beati *Petri* & nostra protectione suscipimus; specialiter autem possessiones de *Gogeswiller*, ac alia bona vestra, sicut ea omnia, juste & pacifice possidetis, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus.

nimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre protectionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum *Laterani*, Kalendis Decembris, pontificatus noſtri anno quinto.

1. Dec.

LII.

HONORIUS III. PP. BONA ET POSSESSIONES MONASTERIJ INFERIORIS IN *HOHENBURG* PRAESERTIM ECCLESIAM IN *OTTENROTH.* CONFIRMAT.

Ex autographo Tabularii Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

Honorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus, abbatiſſe & conventui monaſterii inferioris de *Hohenburc.* Cum a nobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum &c. Ea propter, dilecte in *Chriſto* filie, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras, & Locum, in quo divino eſtis obſequio mancipate, cum omnibus bonis, que in preſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis, preſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, ſpecialiter autem eccleſiam de *Ottenroden*,

den, cum pertinentiis ſuis, ſicut eam juſte & pacifice poſſidetis vobis & per vos monaſterio veſtro auctoritate apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum &c. Siquis autem hoc &c. Datum *Laterani* Kalendis Decembris, pontificatus noſtri anno quinto. 1. Dec.

LIII.

HONORIUS III. PP. BONA ET POSSESSIONES MONASTERIJ ET HOSPITALIS IN *STEIGA* SUB SUA RECIPIT PROTECTIONE.

Ex autographo Tabularii Collegiatae Tabernenſis.

H*onorius* Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, priori & fratribus hoſpitalis in *Steyga*, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sacro ſancta romana Eccleſia devotos & humiles filios ex aſſuete pietatis officio propenſius diligere conſuevit, & ne pravorum hominum moleſtiis agitentur, eos tanquam pia mater ſue protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in domino filii, veſtris juſtis precibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras & locum in quo divino eſtis obſequio mancipati, cum bonis omnibus, que in preſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum, praeſtante Domino, juſtis modis poterit adipiſci, ſub beati *Petri* & noſtra protectione

tione ſuſcipimus, ſpecialiter autem de *argentina*, de *Marlei*, de *Kircheim*, de *Weſthoven*, de *Wazelnheim*, de *Craftelen*, de *Altorf*, de *Sarburc*, de *Allenwilre*, de *Marſale*, de *Oſthoven*, poſſeſſiones ac alia bona veſtra, ſicut ea omnia juſte ac pacifice poſſidetis, vobis & per vos hoſpitali veſtro auctoritate apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre protectionis & confirmationis infringere &c. Datum *Laterani* VI. Idus Decembris, pontificatus noſtri anno quinto. 8. Dec.

LIV.

FRIDERICUS II. REX ROM. *ALBERONI* ABBATI NEOBURGENSI EJUSDEMQUE ABBATIAE CONFIRMAT MANSOS IN *WIMENAU* EIDEM A *WERNHERO* DE *ETTENDORFF* OLIM CONCESSOS.

Ex chartulario membranaceo tabularii Neoburgenſis. fol. 18.

F*ridericus* Dei gracia Romanorum Rex & ſemper auguſtus & Rex Sycilie, preſentibus & futuris omnibus hujus ſcripture pagellam legentibus vel inſpicientibus gratiam ſuam & omne bonum cum ſalute in perpetuum, a pericioribus & & orthodoxis agiographie preceptoribus atque didaſculis divine legis audivimus eſſe ſcriptum in ſacris voluminibus: diligite juſticiam, qui judicatis

tis terram. & rursus: juste judicate filii hominum. & item: honor regis judicium diligit. quocirca nostris regibus ceterisque principibus convenit, ut omnipotentie divine, que nos super terram gloria & honore terreno decoravit, nobisque gentes & regna subjecit, totis viribus gracias agendo vicem persolvamus, ita plane ut universis subjectis nostris justiciam suam conservantes eorum paci, saluti & utilitati diligentius intendamus, & inter cetera vel super cetera Ecclesias, monasteria, & personas religiosas omnipotenti Deo jugiter famulantes, que pro Sarisis, pecmatibus ac pugionibus, ceterisque armis utuntur Saccis, missis, psalteriis & orationibus, ab omni pravorum infestatione summa diligentia defensare contendamus, quod annuente Deo paratissimi sumus ad complendum. Noverint igitur omnes presentia scripta legentes vel audientes quod veniens in presentiam nostram dilectus & venerabilis abbas noster *Albero* de *novo castro*, quod in fundo nostro situm est, cum fratribus suis vera relatione significavit nobis, quod olim quidam nobilis miles *Hezel* de *Eddendorf* de glorioso dive memorie *Friderico* Roman. Imperatore avo nostro & de patre nostro beate memorie *Heinrico* feodatus fuerit & inter cetera feoda sua duos mansos in termino ville, que *Wiminova* vocatur, habuerit, quos moriens *Wernhero* filio suo hereditario jure reliquit. a quo scilicet *Wernhero* abbas de *novo Castro* & fratres sui feoditatem eorundem mansorum, quia eos suis allodiis contiguos & animalium suorum usibus aptos cognoverunt, pecunia multa & bono poledro com-

comparaverunt, & poſtea proprietatem prediĉtorum manſorum ab illuſtriſſimo dom. beate memorie *Philippo* rege patruo noſtro obtinuerunt. poſt mortem vero jam diĉti *Wernheri*, cum uxor eius & procuratores filiorum eius prediĉta bona, tanquam ſi vendita non fuiſſent, in proprios uſus contrahere vellent, ſupradiĉti fratres ſcolteto de *Hagenova* cauſam coram burgenſibus noſtris conquerendo ſuggeſſerunt. quo faĉto, cum idem ſcoltetus noſter prefatam dominam procuratoreſque ſuos ſemel & iterum & tercio ad judicium ſuum ſecundum judiciariam ſententiam citaſſet, ut ab eis cognoſceret quid juris in ſepediĉta terra ſibi uſurpare vellent, & illi venire, vel reſponſalem pro ſe mittere neglexiſſent, ab omnibus in pretorio comparentibus diffinitum eſt, ut fratres de *novo caſtro* terram ſuam obtinerent. &c. ſcripta ſunt hec anno ab Incarnat. Dom. M. CC. XX. epaĉta XIIII. concurrente III. indiĉtione VIII.

LV.

LV.

HUGO ABBAS MURBACENSIS ET *HUGO* CANTOR BASILEENSIS COMPONUNT CONTROVERSIAM INTER ECCLESIAM MURBACENSEM ET NOBILES DE *HATSTATT* CIRCA JUS PATRONATUS IN *HERLISHEIM* EXORTAM.

Ex autographo tabularii Episcopalis Tabernis Alsaticis.

Ego *Hugo* Dei gratia *Muorbacensis* Ecclesie dictus abbas, & Magister *Hugo* Basiliensis ecclesie cantor, universis presentem paginam inspecturis. Notum facimus, quod cum essemus arbitri constituti in controversia, que vertebatur inter ecclesiam Marbacensem & dominos de *Hadestat* super ecclesiam de *Herlichesheim*, ita composuimus, quod domini de *Hadestat*, *Cunradus* videlicet senior pro se & pro suis filiis, & pro filio *Cuonradi* junioris, & duo fratres *Wernherus* & *Cunradus* filii *Epponis* juraverint super sacrosanctas reliquias, quod post decessum *Heinrici* tunc eiusdem ecclesie plebani ecclesie Marbacensi prima concessione prefate Ecclesie *Herlichesheim* in pace dimitterent, & de cetero in quinta presentacione eiusdem Ecclesie Marbacensem ecclesiam nullatenus impedirent. Hujus rei testes sunt nos arbitri. *Fridericus* abbas S. *Gregorii* *Fridericus* prepositus S. *Deodati*, & Canonici eius magister *Nicolaus* & *Karolus*. *Heinricus* preposius S. *Albani*. *Cunradus* prepositus *Bubensheim*, *Theobal*-

dus

dus abbas de *Ludere*. *Sifridus* prepoſitus de *Columbaria*. *Heinricus* plebanus in *Herlichesheim*. Laici: Domini de *Hadeſtat*, quos nominavimus, & eorum familia. *Anshelmus* de *Rapolſteine*. *Andreas* ſcultetus de *Columbaria*. *Ludevicus* de *Turenchein*. *Lentfridus* & *Gunterus* de *Landesberc*. *Algotus Crapho*. *Wernherus* de *Domo*. *Wernherus* de *Lobegaſſen*. *Bruno* de *Bercholz*, *Ruotliebus* de *Egensheim*. *Ouliricus* de *Turencheim*, & alii quam plures clerici & Laici, qui convenerunt illa die pro pace facienda inter juvenes de *Hadeſtat* & illos de *Juncholz*, in quorum preſencia illi de *Hadeſtat* in campo *Otensbuhele* ſuper reliquias juraverunt. Acta ſunt hec in eodem loco *Odensbuhele*, anno Incarnationis Iehſu Chriſti MCCXX, preſidente Papa *Honorio*, & regnante Imperatore *Friderico*, tempore *Heinrici* Baſilienſis Epiſcopi. Ne autem a memoria hominum cadent, ea conſcribi fecimus, & ad majorem fidem ſigillorum noſtrorum & ſancti *Gregorii* & de *Ludere* abbatum, & prepoſiti ſancti *Deodati* munimine roborari.

LVI.

LVI.

HEDEWIGIS ABBATISSA ET CAPITULUM ANDELACENSE IN FUNDO SUO MONASTERIUM SIVE HOSPITALE IN *STEIGA* FUNDANT ET BONIS SUIS DOTANT.

Ex autographo tabularii Collegiatae Tabernensis.

In nomine Domini. Quoniam ea, que geruntur in tempore simul evanescunt cum tempore, necesse est, ut aut voce testium, aut scripture memoria recipiant firmamentum. Ea propter ego *Hedewic* abbatissa & humilis ministra, totumque capitulum in *Andelaba* notum facimus scire volentibus, ad quos presens scriptum pervenerit, quod illa novella plantatio videlicet hospitale de *Steyga* in territorio sancte *Richardis* & nostro ex solius Dei providentia fuit conditum & feliciter inchoatum; ille enim locus hucusque plenus horroris & vaste solitudinis, immo quasi quedam spelunca Latronum conversa est in domum Dei & asilum. Ut autem hec domus Dei domus refugii, domus propitiationis bene fundata supra petram inconcussa permaneat & consistat, necesse est ut ab Ecclesie nostre consensu & beneficio recipiat firmamentum. habeat igitur ex parte Dei omnipotentis, sancte *Richardis* & nostra fundum in quo sita est, & ut excolat de nemoribus sibi adjacentibus usque ad tres mansos, qui vulgo dicuntur *Kuneges Huoben*, & exinde persolvat de cetero Ecclesie nostre pro censu dimidiam libram cere in

festo

festo sancte *Richardis* annuatim, habeat & sibi in perpetuum decimam, quod exinde proveniet, ut ex parte nostri conventus ibidem pauperibus erogetur, habeat & sine contradictione communes usus per totam silvam ad nos pertinentem. Ad hec habuimus consensum & rogatum diligentem eorum militum, qui super eandem silvam & nemora dicuntur forestarii, videlicet: *Waltramnus* filius domini *Alberti Sappen*, *Ludevicus* filius Domini *Ottonis* pueri de *Marlei*, *Hezzel* de *Odratesheim*, *hugo de Kirheim*, *Iohannes* de *Northeim*, *Burchardus Muselin* de *Wabelheim*. ad cujus rei firmitudinem presens scriptum sigillo Ecclesie nostre, videlicet sancte *Richardis* sigillo, est roboratum. Acta sunt hec anno Incarnationis M. CC. XXI.

LVII.

HENRICUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS FIRMAT CONCORDIAM INITAM INTER *BERTHOLDUM* PRAEPOSITUM ET CANONICOS ECCLESIAE HONAUGIENSIS EX UNA PARTE ET *WERNHERUM* DE *HUNNEBURG* MARSCALCUM ARGENTINENSEM ATQUE DICTAE ECCLESIAE HONAUGIENSIS ADVOCATUM EX ALTERA.

Ex libro Albo sive Weisbuch Collegiatae S. *Petri* Senioris fol. 71.

In nomine sancte & individue Trinitatis *Heinrichus* Dei gratia argentinensis Episcopus. Omnibus

nibus hanc paginam inſpecturis ſalutem in perpetuum. Cum, inſtigante generis humani inimico, fomes diſcordie inter prepoſitum *B.* & confratres Eccleſie Hohenaugenſis, ex una parte & *Wernherum* Marſchalcum noſtrum ex altera eiusdem loci advocatum in tantum invaluiſſet, ut predicti prepoſitus & confratres tam ſui preſentia, quam obſequio divino ipſam eccleſiam, alio ſe transferentes, deſolatam diu reliquiſſent, mediantibus tandem bonis ac diſcretis viris, pax & concordia ſub forma ſubſcripta, inter ipſos interceſſit. nam fide data in manus noſtras prefatus marſchalcus noſter firmiter promiſit, quod nec ipſe per ſe, neque per ſuos, vel quemcunque ſibi attinentium eorundem prepoſiti ſeu confratrum perſonas moleſtare deinceps attemptabit, vel in familia, vel in rebus ad ipſos ſpectantibus aliquid omnino eis inferat gravamen. Idem *Egelolfus* & *Wernerus* de *Mundingen* fideles mei filii ſororis ſue, data ſimili fide, firmaverunt. Addidit preterea, quod in omni libertate, ſive jure, ſive juris executione, quod actenus obtinuit eadem Honaugienſis Eccleſia, nullum ipſis per ſe, vel quempiam ſuorum preſtabit impedimentum. Ne vero levi qualibet occaſione, vel malicia, aut temeritate ſopita reviviſcat diſcordia, de communi ſepe dictorum prepoſiti & confratrum, nominati etiam Marſchalci noſtri conſenſu ac petitione ſic firmatum eſt. Si de cetero ipſe Marſchalcus, ſeu quispiam ipſorum, vel ſibi attinentium, ſive ſuo nomine, manum in perſonam cujuslibet fratrum miſerit,

ſerit, aut alias dampnum, vel gravamen in familia vel rebus eorum ipſis irrogaverit, dicti prepoſitus & confratres ad jam dictum marſchalcum recurrent ſatisfactionem ſuper illato gravamine requirentes. quam ſi ipſis non exhibuerit, ad epiſcopum, qui pro tempore fuerit *argentine*, deferrent, qui prelibatum marſchalcum efficaciter commonebit, ut de illatis ſatis faciat condigne. quod ſi non adimplere curaverit marſchalcus, vel forte pro tempore Epiſcopus in hoc facto remiſſius ſe habuerit, vel ſui haberi copia non poterit pretaxati prepoſitus & confratres, per ſe, vel per aliquos de Capitulo, ad capitulum noſtrum argentinenſe recurrent. Nec fiet eis prejudicium, ſi qui fratres tunc abſentes fuerint, ſi quos tunc preſentes in eccleſia noſtra poterunt habere, quantum ad hoc factum vicem ipſius tociusque gerent Capituli, coram quibus de illatis proponent injuriis, petentes ut antedictum marſchalcum de ſatisfactione facienda diligenter exhortentur & inducant. Quorum monitis & precibus ſi obedire neglexerit nec ex tunc a die commonitionis a Capitulo facte uſque ad quatuor ebdomadas non ſatisfecerit, auctoritate noſtra, ſive cujuscunque ſucceſſorum noſtrorum, nec non Capituli noſtri licebit eis eccleſiam ſuam cum tota capituli ſui univerſitate in argentinenſem transferre civitatem. Preterea cum tempore diſcordie ſepedicti prepoſitus & canonici conqueſti fuiſſent a Marſchalco ac ſuis per plurima dampna, gravamina quoque, nec non injurias eis fuiſſe illatas, petitum fuit ab eis, ut huic actioni renunciarent;

R 2 quod

quod quidem recuſabant. Verum tamen in hac conſenſerunt, quod quamdiu prelibata compoſitio rata & inconvulſa ipſis fuerit ſervata, nullam de illatis antea dampnis, vel iniuriis movebunt queſtionem. Si autem, quod Deus avertat, novis malis ſuperadditis interrupta fuerit, & commonitionibus premiſſis, ut ſupra notatum eſt, eis non ſatisfiet marſcalcus, ac propter hoc loco receſſerint, iterato licebit eis ſuper omnibus illatis actionem & querimoniam ex integro innovare. Ut autem hec compoſitionis forma integrum ac firmum deinceps robur obtineat, de conſenſu, voluntate & inſtantia partium prenominatorum, prepoſiti & confratrum *Hohenaugie*, nec non Marſchalci noſtri advocati ſcilicet eiusdem eccleſie preſens ſcriptum noſtro ac eccleſie noſtre Capituli ſigillis fecimus communiri. Mediatores partium fuerunt prepoſitus major Dominus *R.* dominus *H.* de *Crinberc*, plebanus S. *Martini. T. Stebellinus.* Teſtes vero *Vol.* . . Scholaſticus, *W. Begere*, Dominus *R.* de *Tenge*, argentin. Canonicus, *H. Cyderarius*, *L. Cago*, *W.* de *Wolffgansheim*, portarius de *Haſelohe*, plebanus de *Scherheim*, *Wetzel* judex & alii quam plures. Actum publice anno incarnati verbi MCCXXI, indictione nona.

LVIII.

LVIII.

ARBITRIO JUS PATRONATUS ECCLESIAE IN *DALHEIM* ADJUDICATUR *ALBERTO* PRAEPOSITO HASELACENSI.

Ex autographo tabularii Collegiatae Haſelacenſis.

B*ertoldus* Decanus *Fridericus* cantor argentinenſis, *Otto* dictus abbas *Maurimonaſterii*, *Lampertus* prior hoſpitalis in *Steyga*, univerſis hoc ſcriptum intuentibus ſalutem in ſalutis auctore. Laudandum eſt & omni creature commendandum ſcripture ſignum, quia quidquid eſt memoria dignum, nequaquam oblivioni traditur, in ſcriptum immortale ſi redigitur, & ideo preſenti pagina quedam annotantur, ut per eorum intelligentiam futura mala ſopiantur. Noſcant igitur preſentes & futuri preſentem paginam inſpecturi Dominum *Albertum* prepoſitum de *Haſelabe*, & nobilem Dominum *Merbotonem* de *Malberc* cauſam, que inter eas verſabatur ſuper jure patronatus eccleſie de *Talebeim* & parrochianos eiusdem ville in nos preciſe compromiſiſſe eandem cauſam examini & arbitrio noſtro diſcutiendam committentes, & Domino noſtro Epiſcopo & nobis fide data ſe ratum velle tenere quicquid arbitremus promittentes. Nos igitur, cum ex relatione clericorum & Laicorum & multorum honeſtorum virorum cognoviſſemus in choro argentinenſi coram judice ordinario, qui Iudicio preſidebat, prepoſitum de *Haſelabe* predicte Eccleſie patronatum poſt altercationes ſufficientes per ſentenciam ordinarie

narie

narie inquisitam cum testimonio sufficienti obtinuisse, & jus, quod idem Dominus de *Malberc* & parrochiani de *Talibeim* in patronatu sibi usurpabant, fuisse cassatum, & eis omnimode abjudicatum, idem nos approbantes de pura conscientia & mera justitia super hoc arbitri eidem preposito de *Haselahe* patronatum ecclesie de *Talibeim*, habito prudentum virorum consilio, adjudicavimus, & Dominum *Volricum* plebanum in *Talibeim* a jam dicto preposito presentatum, & ab archidiacono canonice investitum in plebanatu ibidem confirmavimus, predicto Domino *Merbotoni* & rusticis de *Talebeim* silentium imponentes. Hujus vero rei causam per nostrum examen & arbitrium discussam coram Domino Episcopo argentinensi in sinodo manifesta, & tocius cleri audientia, pronunciavimus. Acta anno Domini MCCXXI.

LIX.

HONORIUS III. PP. PERSONAS ET BONA MARBACENSIS MONASTERII IN PROTECTIONEM SUSCIPIT.

Ex autographo Tabularii Episcopalis *Tabernis Alsaticis*.

H*onorius* Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui *Marpacensi*. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis

tionis, ut id per ſollicitudines officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras & locum in quo divino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis que in preſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis, preſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, ſpecialiter autem villam de *Hamerſtat*, terras, prata & alia bona veſtra, ſicut ea omnia juſte, canonice, ac pacifice poſſidetis, vobis & per vos monaſterio veſtro auctoritate apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtre protectionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Laterani*, nonis octobris, pontificatus noſtri anno ſeptimo.

LX.

FRAGMENTUM CHARTAE *HENRICI* ARGENTINENSIS EPISCOPI PRO ABBATIA *INFERIORIS MONASTERII* IN *HOHENBURG.*

Ex vidimus in tabulario Epiſcopali *Tabernis Alſaticis* de an. 1323.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, amen. Ego *Heinricus* divina favente clementia argentinenſium Epiſcopus, preſentem paginam inſpecturis, cum omnium noſtrae diocesis eccleſiarum. . . hinc eſt, quod nos multitudine perſonarum Deo jugiter apud cenobium noſtri Epiſcopatus, quod *Niedermünſter* in *Hohenburg* nuncupatur ſervientium, eorumque inopia . . . . acta ſunt hec publice anno ab incarnatione Domini MCCXXII. indictione X, Epiſcopo *Honorio* Romane ſedi preſidente, anno pontificatus eius ſexto, regnante *Friderico* Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno regni eius undecimo, Imperii vero ſecundo. Hujus rei teſtes ſunt. . . . *Conradus* prepoſitus de *Itenwilre*, *Conradus* prepoſitus de *Trutenhuſen* *Dietericus* plebanus de *Barre*, *Berwardus* & *Ritherius* canonici, *Albertus Nibelingus* ſacerdotes & alii quam plures.

LXI.

LXI.

HONORIUS III. PP. PROVENTUS ECCLESIAE PAROCHIALIS IN *NUSSBACH* CONFERT MONASTERIO OMNIUM SANCTORUM.

Ex autographo Tabularij Omnium ſanctorum.

Honorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo argentinenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dilecti filii prepoſitus & conventus de *Cella omnium Sanctorum* premonſtratenſis ordinis nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum nobilis mulier *Uta* duciſſa de *Scowenburg* tue dyoceſis jus patronatus eccleſie de *Nuſsbach* eis contulerit intuitu pietatis, quod ipſis auctoritate apoſtolica fuit poſtmodum confirmatum, nos eisdem eccleſiam ipſam concedere miſericorditer dignaremur, ita quod poſt mortem plebani eiusdem eccleſie proventus ipſius in uſus proprios valeant retinere, te de ipſorum honeſta converſatione laudabile nobis teſtimonium per tuas litteras perhibente, ac ſupplicante ſuper hoc nihilominus pro eisdem. Nos igitur & illorum ſupplicationibus, quantum cum Deo poſſumus annuere, ac tibi, qui loci dyoceſanus exiſtis deferre volentes, fraternitatem tuam monemus attente, per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ſuper hoc capituli tui aſſenſu, prout expedit, requiſito, ſi de horum voluntate conceditur predictam Eccleſiam memorato prepoſito & Capitulo conferas, prout videris expedire. Nos enim eis ſuper hiis, que ſibi a te cum predictorum conſenſum

ſenſum canonice ac provide conferuntur, libenter favorem impertiemur apoſtolicum requiſiti. Datum *Laterani* V. Kal. februarii pontificatus noſtri anno ſeptimo.

28. jan.

LXII.

REINHARDUS PRAEPOSITUS ARGENTINENSIS A CAPITULO TURICENSI QUAMDAM IN *TURICO* DOMUM COEMIT.

Ex tabulario Collegiatae Turicenſis.

In nomine ſancte & individue Trinitatis. *R.* Dei gratia prepoſitus argentinenſis. ea que geruntur in tempore, ne cum tempore dilabantur, litterarum debent memoria perennari. Notum igitur ſit omnibus hanc Cartulam inſpecturis, quod quandam domum ſitam juxta ripam Domui piſtoris contiguam a prepoſito, totoque *Capitulo Turicenſi* totam, integram & individuam pro ſumma XII marcarum comparavimus, hac conditione, ut eam domum tempore vite noſtre tantum quiete ac pacifice poſſideamus, eadem domo poſt obitum noſtrum ad Capitulum prenominatum, *Chriſto* herede conſtituto, libere revertente, ita tamen quod Camerarius ſepedicti capituli X ſolidos de ſupra dicta domo provenientes annuatim in noſtro anniverſario dividat inter ipſum Capitulum ad noſtrum anniverſarium memoratum, huic ergo rei ne falſitatis ſcrupulus contradicat, fecimus

mus hanc cardulam conſcribi, & ſigilli noſtri appenſione, pariter & teſtium ſubſcriptione firmiter roborari. Teſtes autem ſunt hii; *Burcardus* Baſilienſis, *Burcardus Albus*, *Rodolfus* de *Camo*, *Heinricus* de *Clote*, *Hugo* de *Gecboltſem*, plebanus, clerici, Laici vero *Heinricus* de *Ponte*, *Ulricus*, *Goltſten*, *Rodolfus Holtman*. Acta ſunt haec anno Dominice incarnationis MCCXXII. decima Kalendas Decembris.

22. Nov.

LXIII.

HEINRICUS REX ROM. OFFICIATOS ABBATIAE HOHENBURGENSIS AB OMNI COLLECTA ET EXACTIONE LIBEROS DECLARAT.

Ex autographo tabularii Epiſcopalis *Tabernis Alſaticis*.

H. Dei gratia Romanorum Rex & ſemper auguſtus, univerſis Imperii fidelibus quibus haec litterae oſtenſe fuerint, gratiam ſuam & omne bonum. Significamus vobis, quod ad imitationem divorum progenitorum noſtrorum, abbatiſſam & clauſtrum ſanctimonialium de *Hobinburc* pia animadverſione amplexantes, de pietatis noſtre munificentia, & conſilii noſtri pleniſſimo de conſenſu indulſimus, ipſis, ut univerſi officiati earum, ſive majores ſive minores ubicunque reſi-

residentes, ab omni collecta & exactione liberi & penitus sunt exempti, quemadmodum temporibus progenitorum nostrorum hactenus sunt exempti, statuentes & sub interminatione gratie nostre districte precipientes, ut nullus sit qui super hac nostra donatione & indulgentia prefatas sanctimoniales molestare, vel aliquatenus audeat impedire. quod qui fecerit, nostre sublimitatis iram & indignationem se noverit incursurum. Ad hujus etiam nostre concessionis, seu indulgentie robur in perpetuum valiturum presens scriptum sigillo nostro jussimus communiri. Datum apud *Hagenowe*, VI. Kalendas Martii, indictione XII. *)

24. Febr.

*) Indictio XII. occurrit in annis 1224 & 1239. primus praelatus est annus, quo, ut aliunde constat, *Henricus* Rex Rom. *Hagenoae* commoratus fuit.

LXIV.

LXIV.

HONORIUS III. PP. CONFIRMAT CONCORDIAM INITAM INTER ECCLESIAM COLLEGIATAM HONAUGIENSEM ET EJUS ADVOCATUM *WERNHERUM* DE *HUNEBURG*.

Ex libro Albo ſive Weisbuch Collegiatae S. *Petri* Senioris. fol. 58.

H*onorius* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, prepoſito & capitulo Honaugienſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Hiis, que judicio vel concordia terminantur, robur convenit apoſtolicum impertiri, ne in oblivionem forſitan relabantur acta queſtionis. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu compoſitionem que inter vos ex parte una, & *W.* Marſchalcum venerabilis fratris noſtri argentinenſis Epiſcopi advocatum eccleſie Honaugienſis ex altera, ſuper dampnis illatis de cetero non inferendis eidem ab ipſo bone memorie *H.* argentinenſi Epiſcopo & quibusdam aliis mediantibus facta eſt & ab utraque parte ſponte recepta, & actenus pacifice obſervata, nec non in Litteris exinde confectis dicitur plenius contineri auctoritate apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere &c. Datum *Laterani* IX. Kalendas Maii, pontificatus noſtri anno octavo.

27. Apr.

LXV.

HONORIUS III. PP. ABBATIAE APRI MONASTERIENSI CONFIRMAT CAPELLAS ET POSSESSIONES IN *OBER SULTZ*, *SERMERSHEIM*, *SIGOLSHEIM* ET *BALDENHEIM*.

Ex Autographo Abbatiae *Apri Monasteriensis*.

Honorius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, abbati & conventui monasterii *Novientensis*, salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est & honestum tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti, in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, de *Sulza*, de *Sarmerzo* & de *Sigolteshem* & in *Baldenheim* Capellas cum allodiis & pertinentiis earundem, quas ab inclitae recordationis *Henrico* secundo Romanorum Imperatore, diocesanorum Episcoporum & Capitulorum ipsorum deliberato consensu, pro liberalitate proponitis monasterio vestro concessas sicut eas juste, canonice & pacifice possidet, & in privilegio imperatoris eiusdem plenius dicitur contineri, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei. & beatorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum

lorum eius ſe noverit incurſurum. Datum *Laterani* tertio Idus Maii. pontificatus noſtri anno octavo.

13. Maji.

LXVI.

FRIDERICUS II. IMP. ABBATIAE NEOBURGENSI UNAM NAVIM IN *RHENO* AB OMNI THELONEO ALIAQUE EXACTIONE LIBERAM ET IMMUNEM DECLARAT

Ex chartulario membranaceo Abbatiae *Neoburgenſis* fol. 18. b.

F*ridericus* ſecundus divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper auguſtus & Rex Sycilie omnibus in perpetuum. cum Imperialis eminentia de conſuete benivolentie habundantia expertis fidelibus ſuis debita procuret tempore & loco impertiri beneficia, nos ſpecialius tales promovere intendimus perſonas, quarum orationibus & elemoſynis ſalutem nobis & imperio cum ſuperne retributionis premio ſperamus pervenire ea propter conſiderantes honeſtatem Venerabilis *Alberonis* abbatis *Nuwenburgenſis* in Alſatia, ſuorumque confratrum, qui quadam ſpeciali prerogativa optime converſationis actenus excellentie noſtre familiares extiterunt atque accepti, ne merita eorum ſine debita noſtre liberalitatis permaneant recompenſatione pro ſalute noſtra & imperii, animarumque divorum progeni-

genitorum nostrorum remedio, recipiente personaliter a manibus imperialis majestatis nostre abbate andedicto, contulimus eidem & conventui *Nuwenburgensi* eorumque posteris omnibus in eodem loco Deo deservientibus processum navis unius in *Rheno* ita quod in descensu & ascensu per *Rhenum* in nullo omnino loco fratres memorati, vel eorum nuncii in navi illa, quam sibi ipsi ad hoc adaptaverint, ullam paciantur exactionem nomine Thelonei, vel alterius inquietationis volumus, & hec libere contulimus conventui memorato quod quicquid ad exactionem consueti Thelonei super *Rheno* ab aliqua exquiritur navi id percipiat conventus sepe dictus de navi, quam ei indulsimus, ad sue prebende supplementum sine alicujus ministri aut nuncii nostri contradictione, & ipsi fratres hoc recipiant ab una, ut dictum est, navi, imperiali de cetero auctoritate ubicunque ipsis commodius videntur. Mandamus igitur &c. ad hujus autem rei evidentiam robur atque memoriam hoc inde scriptum prefato cenobio indulsimus sigillo majestatis nostre communitum. hujus rei testes sunt *Albertus* Tritentinus episcopus, *Bertholdus* Brixinensis episcopus, *Heinricus* constanciensis major prepositus, Imperialis aule prothonotarius, *Heinricus* comes de *Ebenstein*, *Chunradus* burgravius de *Nurenberg*, *Chuono* de *Twffen*, *Chunradus* & *Ulricus* fratres camerarii de *Werda* & alii quam plures. Datum *appulie* apud civitatem anno Dominice M. CCXXIII. Sexto Kal. januarii, XI. indictione *)

27. Dec.

Hanc

*) Hanc donationem confirmavit filius Imperatoris *Henricus* VII. Rom. Rex, *Spirae* MCCXXIII. menſe Majo.

LXVII.

HONORIUS III. PP. *HENRICO* ABBATI BONA ET POSSESSIONES ABBATIAE APRIMONASTERIENSIS CONFIRMAT.

Ex autographo Abbatiae Aprimonaſterienſis.

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Henrico* abbati monaſterii ſanctorum *Petri* & *Pauli* atque *Mauritii* de *Ebersheim*, ejusque fratribus tam preſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuam memoriam. Quoties a nobis petitur, quod religioni & honeſtati convenire dinoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum ſuffragium impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & prefatum monaſterium Sanctorum *Petri* & *Pauli* atque *Mauritii*, ſociorumque ejus de *Ebersheim*, ſitum in pago alſatienſe, ſuper fluvium, qui dicitur *Illa*, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ad exemplar felicis recordationis *Lucii* Pape, predeceſſoris noſtri, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus, In primis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus, qui ſecundum Dei & beati *Benedicti* regulam in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem

temporibus inviolabiliter obſervetur. Preterea quaſcunque poſſeſſiones, quecunque bona idem monaſterium in preſentiarum juſte & canonice posſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione Regum & principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis, preſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo prefatum monaſterium ſitum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis. In *Sulza*, curtem porte cum decimis ſuis, & cum decimis curtis in agris, pratis & vineis. In *Regenesheim* decimas duorum manſorum. In *Gundolvesheim* decimam quinque manſorum. In *Bercholz* decimam unius vinee. In *Balderesheim*, in *Battenheim*, in *Rolicheshein*, in *Bollenwilre* decimas, quas in eis habetis. Capellam *celle* cum decimis allodii ſui. Capellam *Sarmenzhe* cum decimis allodii ſui. In *Egenesheim* decimas unius dominice curtis. In *Sigolteshein* curtem dominicam cum omnibus appendiciis ſuis, vineis, agris & pratis, & banno, & capellam ipſius curtis cum omnibus decimis predii ſui & cum decimis duodecim manſorum, & aliorum duorum manſorum argentinenſis Eccleſie. In *Oleswilre*, curtem dominicam cum decimis ipſius predii & banno. In *Cunegesheim*, curtem cum allodio vinearum & agrorum cum omni decima ſua quod *Ringardis* regina vobis dedit, inſuper allodium in ipſa villa, quod *Odalricus* vobis dedit. In *Scerwilre*, curtem dominicam cum vineis agris, pratis, & cum decimis & banno ipſius predii.
In

In *Tamwilre* allodium cum agris & pratis, & aquarum decursibus, & Capellam cum decimis. In *Ebersheim* curtem dominicam cum forestis & quarta parte banni ipsius ville. In *Cagenheim*, curtem dominicam cum omnibus appendiciis suis & banno. In *Sermersheim* curtem dominicam cum decima salice terre, & ecclesiam cum decimis ipsius ville. In *Hittenheim* decimas unius dominice curtis. in *Mazenheim* decimas sexaginta octo jugerum. In *Outenheim* curtem dominicam & ecclesiam cum decimis ipsius ville. In *Northus*, decimas unius dominice curtis. In *Hundenesheim* & in *Lumersheim*, similiter. In *Valva*, curtem dominicam cum quarta parte banni ipsius ville. in *Birenheim*, curtem dominicam cum medietate banni. In *Hiltesheim* curtem dominicam cum decima salice terre & Ecclesiam cum decima ipsius ville & banno cum omni Mundeburde sua ac libertate. Item in ipsa villa, curtem dominicam ad sacrarium pertinens cum decimis & omnibus appenditiis suis, scilicet *Cellesheim*, *Conenheim* & *Lagenheim*. In *Azolveswilre*, curtem dominicam cum Ecclesia & banno & omni dominio. In *Muterholz* curtem dominicam cum Ecclesia & decimis ipsius ville, & medietate banni. In *Baldenheim*, capellam cum medietate decimarum ipsius ville. In *Wittensheim* curtem dominicam cum tribus partibus banni & ecclesiam ipsius Loci cum decimis. In *Niveratesheim*, allodium & ecclesiam cum decimis ipsius ville. In *Swavesheim*, curtem dominicam cum medietate banni. In *Artolvesheim*, curtem dominicam cum Ecclesia & decimis ipsius

ville & banno. Capellam in *Birnheim* cum decimis ſuis. In *Gruzenheim*, curtem dominicam cum tribus partibus banni & omni dominio ipſius ville & eccleſiam cum decimis ſuis. In *Arzenheim*, curtem dominicam cum omni jure ſuo. In *Burcheim*, decimas dominice curtis. In *Caſtineto*, predium unum. In *Tambaco*, predium unum. In *Illichireben*, tres manſos. In *Offenheim* duos manſos. In pago *Briſaugienſi*, curtem dominicam in villa *Witwilre*, cum omnibus appenditiis ſuis & eccleſiam cum decimis ipſius ville, banno & omni dominio, ſalva in omnibus moderatione concilii generalis. In *Baldolvesheim*, novem manſos. In *Ibensheim*, manſum unum. In *Widenſolen* manſum & dimidium. In *Uresheim*, manſum unum. In *Atratesheim*, tres manſos. In *Oſtheim*, manſum unum. In *Onheim* duos manſos. In *Veltchirhen*, vineam unam & dimidium manſum. In *Roleswilre*, duos manſos, inſuper vineam trium jugerum cum curtibus ſuis. Item aliam vineam. In *Bateresheim*, duos manſos. In *Burcheim* dimidium manſum. In *Berolvesheim* novem manſos. In *Bliemaresheim*, quartam partem manſi. In *Hecesheim* duos manſos & dimidium. In *Heſſenheim*, dimidium manſum. In *Amrichwilre* vineam unam. In *Pfaffenheim* vineam unam. In *Dubelsheim*, duos manſos. In *Hedolvesheim*, manſum & dimidium. Et in *Mochenheim* dimidium manſum & capellam in *Ebersheim* ſitam, cum omnibus pertinentiis ſuis. ſane novalium veſtrorum que propriis manibus aut ſumtibus colitis, ſive de

de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus a vobis decimas exigere aut extorquere preſumat. liceat quoque vobis clericos, vel laicos e ſeculo fugientes & abſolutos ad converſionem recipere & eos abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli fratrum veſtrorum, poſt factam in eodem loco profeſſionem, fas ſit abſque abbatis ſui licentia, niſi arctioris religionis obtentu de eodem loco diſcedere, diſcedentem vero abſque communium litterarum veſtrarum cautione, nullus audeat retinere. cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce, divina officia celebrare. Sepulturam preterea ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpopora aſſumuntur. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia preponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem, & beati *Benedicti* regulam providerint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas ſit, prefatum monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare. ſed omnia integra conſerventur,

S 3 eorum,

eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentacione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſtolice autoritate, atque eiusdem canonica juſtitia. ſiqua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere, de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri *Jeſu Chriſti* aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri *Jeſu Chriſti* quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniant, amen, amen, amen. Ego *Honorius* Catholice Eccleſie Epiſcopus. Ego *Pelagius* Albanenſis Epiſcopus. Ego *Nicolaus* Tuſculanus Epiſcopus. Ego *Leo* tituli S. *Crucis* in *Jeruſalem* presbyter Cardinalis. Ego *Guala* S. *Martini* presbyter Cardinalis tituli *Equitii*. Ego *Stephanus* Baſilice *duodecim apoſtolorum* presbyter cardinalis. Ego *Gregorius* tituli S. *Anaſtaſie* presbiter Cardinalis. Ego *Thomas* tituli ſancte *Sabine* presbyter Cardinalis. Ego *Octavianus* ſanctorum *Sergii & Bachi* diaconus Cardinalis. Ego *Gregorius* ſancti *Theodori* diaconus Cardinalis. Ego *Romanus* ſancti *Angeli* diaconus Cardinalis. Ego *Stephanus* ſancti *Adriani* diaconus Cardinalis. Ego *Petrus*

ſancti

ſancti *Georgii* ad *velum aureum* diaconus Cardinalis. Data *Laterani* per manum magiſtri *Quidonis*, Domini Pape notarii, decimo Calendas junii, indictione duodecima, incarnationis dominice anno MCCXXIV, pontificatus vero Domni *Honorii* Pape Tertii anno octavo. *)

24. Maji.

*) Loca ſuperius recitata explanabit *Novorum Subſid. Diplom. Tomus VIII. p. 55. ſq.* ubi agitur de Archidiaconatibus Eccleſiae Argentinenſis.

LXVIII.

ARBITRIUM IN CAUSA INTER DOMINUM DE *RAPPOLTSTEIN* ET PLEBANUM DE *SIGOLSHEIM* ET ECCLESIAM STIVAGIENSEM SUPER PENSIONIBUS ET JURE PATRONATUS &c.

Ex autographo Tabularii Rappolſteinenſis.

V. Scolaſticus Argentinenſis, *H.* Prepoſitus. S. *Thome*, *L.* Prior de *Steyga* judices a ſede apoſtolica delegati, in cauſa, que vertebatur inter nobilem virum dom. de *Rappolſtein* & ſuos cogiatos & plebanum *L.* de *Sigolsheim* & Eccleſiam *Stivagenſem* omnibus hanc paginam intuentibus ſalutem in vero ſalutari. Univerſitati veſtre innoteſcat, quod diſcordia que inter predictos orta fuit ſuper penſionibus & jure patronatus Eccleſie prefate, nobis mediantibus eſt ſopita per arbi-

trium tali pena confirmatum, quod quecunque pars venerit in contrarium perſolvat alteri centum libras argentinenſis monete inſtrumenta, que utraque pars habuit, nobis repreſentaverunt, & ſique ſunt ſuper eodem negotio non repreſentata ſint caſſa & vacua promiſit dictus nobilis pro ſe & pro ſuis cognatis aſſignare eccleſie memorate de ſua proprietate poſſeſſionem valentem annuatim ſine damno quindecim hamas vini ad menſuram ville ſic dividendas, quod in vita predicti nobilis eccleſia jam dicta recipial pro remedio anime ſue medietatem, & poſt obitum ſuum illas XV menſuras integre recipiat, retenta nihilominus antiqua conſueta penſione XV. hamarum. preterea ſepedictus nobilis de XII. caſeis, quos percipere conſueverat, ſex remiſit. quod ſi predicta compoſitio non fuerit obſervata, inſtrumenta, ſi que non ſunt repreſentata, habeant easdem vires quas habebant tempore iſtius compoſitionis. Acta ſunt hec anno incarnationis Domini M. CC. XX. IV. in natali S. *Johannis* Baptiſte, in Clauſtro majoris Eccleſie argentinenſis, preſentibus C. Scolaſtico ſpirenſi, *H.* Canonico & plebano S. *Martini*, *H.* Canonico eiusdem eccleſie, & aliis multis clericis & Laicis. quod ut ratum & inconvulſum habeatur, preſens ſcriptum ſigillis noſtris & ſigillo jam dicte Eccleſie & prelibati dom. nobilis de *Rappolſtein* fecimus premuniri.

LXIX.

LXIX.

CONFIRMATIO CUJUSDAM COMPOSITIONIS SUPER DECIMIS NOVALIUM IN *HAGENAU*.

Ex Rotulo Abbatiae Regiopontanae.

C. miſeratione Divina Portuenſis & S. *Rufinae* Epiſcopus & Apoſtolicae ſedis legatus. Dilectis in *Chriſto* abbatiſſae & conventui *Regis pontenſi* ſalutem in *Chriſto Jeſu*: cum a nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis ut id ad debitum perducatur effectum, ea propter dilectae in Domino veſtris juſtis petitionibus inclinati, perſonas veſtras & locum in quo eſtis divino obſequio mancipatae. cum omnibus bonis quae in praeſentiarum rationabiliter poſſidetis aut in futurum juſtis modis praeſtante Domino poteritis adipiſci, ſub ſacro ſanctae Romanae Eccleſiae & noſtra protectione ſuſcipimus. ſpecialiter autem compoſitionem ſuper decimis Novalium inter vos ex una parte & Plebanum de *Hagenowe* factam, ſicut juſte & rationabiliter facta & ab utraque parte ſponte recepta authoritate legationis qua fungimur, confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae protectionis & confirmationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum apoſtolorum *Petri & Pauli* ſe noverit incurſurum. Da-

 tum

tum *Hagen*: V. Nonas julii Pontificatus *honorii* Papae *tertii* anno octavo.

LXX.

HONORIUS III. PP. MONASTERIUM DE *ETTENHEIM* IN PROTECTIONEM SUSCIPIT, EJUSDEMQUE BONA CONFIRMAT.

Ex Autographo tabularii Abbatiae Ettonianae.

H*onorius* Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis *Heinrico* abbati monasterii de *Ettenheim* eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit ac praesidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito avocet aut robur quod absit sacrae religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus & praefatum monasterium sanctae Dei genitricis virginis *Mariae* in *Ettenheim* in quo divino mancipati estis obsequio sub beati *Petri* & nostra protectione suscipimus & praesentis scripti privilegio communimus. in primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum & B. *Benedicti* regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. praeterea quascunque possessiones, quaecunque bona idem monasterium in praesentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione ponti-

tificum, largitione Regum vel principum, oblatione fidelium ſeu aliis iuſtis modis, praeſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo praefatum monaſterium ſitum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis curiam dominicam circum adjacentem eidem monaſterio cum omnibus pertinentiis ſuis de *Derlebac*, de *villa monachorum*, de *Ettinheim*, de *Ruſtein*, de *Ringsheim* de *Rubiaco* & de *Stozheim* curias dominicas cum molendinis, piſcationibus & omnibus pertinentiis earundem; de *Burbach*, de *Valberc*, de *Kencingen*, de *Forcheim* & de *Lunichheim* poſſeſſiones cum omnibus pertinentiis earundem, de *Tuswelt*, de *Herbotsheim*, de *Hoſswilere*, de *Kippenheim*, de *Tundelingen*, de *Frieſenheim*, de *Otenheim*, de *Schopfheim*, de *Ruchelheim* de *Ongersbac*, de *Oterdern*, de *Wibwilre* de *Edingen*, de *Ottmarsheim* & de *Rinawe* manſos cum omnibus poſſeſſionibus & pertinentiis ſuis, Eccleſiam S. *Petri* ſitam infra ſepta dicti monaſterii cum omnibus pertinentiis ſuis & Eccleſiam in *Swegbuſen* cum decimis & pertinentiis, quas bonae memoriae *Henricus* Epiſcopus argentinenſis accedente capituli ſui conſenſu eidem monaſterio pia liberalitate donavit, jus patronatus quod habetis in Eccleſia de *Roccingen*, duas partes decimarum quas habetis in eccleſia de *Ettenheim* cum jure patronatus, duos partes decimarum quas habetis in *Altdorf* in *Ringsheim* & in *Grauvinbuſen* capellis eccleſiae memoratae, jus patronatus, quod habetis in *villa mo-*

monachorum cum medietate decimarum & aliis pertinentiis ſuis, jus patronatus, quod habetis in Ecclesia de *Rusſſtein* cum medietate decimarum & aliis pertinentiis ſuis; jus patronatus quod habetis in Eccleſia de *Lounicheim* & de *Stolzheim* cum omnibus pertinentiis ſuis: annuos redditus quos habetis in Eccleſiis ſupradictis. Salva tamen in praedictis decimis moderatione concilii generalis &c. ſane novalium &c.

Ego *Honorius* Catholicae eccleſiae Epiſcopus.

† Ego *Guala* S. *Martini* presbyter Cardinalis, tt. *Equitii.*

† Ego *Stephanus* Baſilicae *duodecim* apoſt. presbyter Cardin.

† Ego *Thomas* tt. S. *Sabinae* presbyter Cardinalis.

† Ego *Joannes* tt. Sanctae *Praxedis* presbyter Cardinalis.

† Ego *Hugo* Hoſtienſis & Velletrenſis Episcopus.

† Ego *Nicolaus* Tuſculamus Epiſcopus.

† Ego *Oliverus* Sabinenſis Epiſcopus.

† Ego *Otto* Sanctorum *Sergii & bachi* Cardinalis diaconus.

† Ego *Stephanus* S. *Adriani* diaconus Cardinalis.

† Ego *Rainerus* S. *Marie* in *Cosmedin* diaconus Cardinalis.

† Ego *Egidius* SS. *Coſmae* & *Damiani* diaconus Cardinalis.

Ego

† Ego *Petrus* Sancti *Georgii* ad *velum aureum* diac. Cardinalis.

Datum *Laterani* per manum magistri *Guidonis* domini papae notarii, 3. Calend. Maii indictione decima quarta incarnationis Dominicae MCCXXV. pontificatus vero domini *Honorii* Papae *tertii* anno decimo.

Confer. *novorum subsid. Dipl. T. VIII. a p.* 55 *sq.*

29. Apr.

LXXI.

HONORIUS III. PP. NOBILIBUS ALSATIAE INHIBET, NE FILIAS SUAS ET AGNATAS IN MONASTERIUM HOHENBURGENSE INTRUDANT.

Ex autographo tabularii Episcopalis *Tabernis Alsaticis.*

H*onorius* Episcopus servus servorum Dei, dilectis in *Christo* filiabus Abbatisse ac monialibus de *alto Castro*, salutem & apostolicam benedictionem. Ex vestra insinuatione didicimus, quod cum vix ad sustentacionem vestram proprie sufficiant facultates, quidam nobiles regionis illius quorum non audetis, ut asseritis, resistere voluntati, suas intrudunt in vestrum monasterium filias & cognatas. Unde cum sit, sicut dicitis, non immerito formidandum, ne cogamini sic multiplicato in predicto monasterio monialium numero

ro mendicare, provideri ſuper hoc, a nobis humiliter poſtulaſtis. Ea propter auctoritate preſentium diſtrictius inhibemus, ne taliter aliquam de cetero recipere preſumatis Datum *Reate* VIII. Idus Auguſti, pontificatus noſtri anno decimo.

6. Aug.

LXXII.

HERMANNUS MARCHIO BADENSIS ET *IRMENGARDIS* EJUS CONJUX NAVEM PER *REHNUM* ABBATIAE NEOBURGENSIS IN SUIS DITIONIBUS DESCENDENTEM ET REDEUNTEM AB OMNI THELONEO ET EXACTIONE IMMUNEM DECLARANT.

Ex Chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgenſis. fol. 19. b.

H*ermannus* Dei gratia de *Badin* Marchio & conjux ejus nobilis Marchioniſſa nomine *Irmingardis* omnibus has litteras inſpicientibus dilectionem & ſalutem in *Chriſto*. Ex ore Catholicorum doctorum prudentiumque eccleſiaſticorum prelatorum cognovimus, quod homines in hac mortali fragilitate conſtituti in eterna beatitudine felices ſint & coram Deo beati, ſi de animarum ſuarum ſalute ſolliciti fuerint in hoc mortali ſeculo, qua de re ſcire volumus omnes hos apices inſpicientes, quod nos cum communi conſilio miniſterialium noſtrorum & ad peticionem Venerabilis

bilis Domini *Alberonis* Abbatis *novi Caſtri* pro ſalute animarum noſtrarum nec non parentum noſtrorum hoc modo quandam modicam fecimus elemoſinam eccleſie ſue. frater enim predicti loci a Domino noſtro glorioſo Imperatore *Friderico* & filio eius rege *Heinrico* Libertatem navis per Rhenum deſcendentis & redeuntis habere meruerunt, quam ſcilicet libertatem eiusdem navis per loca noſtre dicioni ſubjecta eisdem in perpetuum donavimus, ita videlicet ut liberrime ſine omni Theloneo & tocius exactionis occaſione deſcendat & redeat & proventus, quos homines noſtri de jam dicta navi colligere & in Cameram noſtram deferre conſueverant, fratres *novi caſtri* de cetero percipiant ad ſupplementum ſuarum prebendarum. quod quia pro ſalute noſtra & parentum noſtrorum fecimus, preſentem cartam ſigillis noſtris ſignavimus & elemoſinam noſtram ratam in perpetuum eſſe volumus. de cetero ſiquis, quod abſit, de noſtris vel de alienis huic noſtre donationi quavis occaſione obviare preſumpſerit, Dei benedictione & amicitia noſtra carebit. Acta ſunt hec & ſcripta anno ab incarnatione Domini M. CC. XXV. concurrenta II. Indictione XIII. epacta VIIII. Coram his teſtibus *Waltero* abbate de *Alba*, *Gerbotone* priore eiusdem loci, *Swicbero* notario *Heinrico* pincerna, *Symundo* dapifero, *Heinrico* de *Rode*, & filio ejus *Burchardo*, *Alberto* de *Lisvelt Cunrado* Capellano de *Badin*, *Burchardo* Scolteto de *uffisheim* & aliis quam pluribus.

LXXIII.

LXXIII.

HONORIUS III. PP. JUBET UT BONA ABBATIAE INFERIORIS IN *HOHENBURG* ILLICITE DISTRACTA VEL ALIENATA RESTITUANTUR.

Ex autographo tabularii Episcopalis *Tabernis Alsaticis.*

HOnorius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis, abbati, priori *Stivagiensi*, Tullensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem. Dilectarum in Christo filiarum Abbatisse & conventus *inferioris monasterii* precibus inclinati presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus ea, que de bonis ejusdem Monasterii alienata inveneritis illicite, vel distracta, ad jus & proprietatem ipsius sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, legitime revocetis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eandem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Datum *Rome* III. Idus Augusti, pontificatus nostri anno decimo.

11. Aug.

LXXIV.

BERTHOLDUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS CONFIRMAT *OTTONI* MAURI MONASTERIENSI ABBATI DONATIONEM PAROCHIAE SUPERIORIS IN *MAURMUINSTER* A PRAEDECESSORE SUO *HENRICO* FACTAM.

Ex Autographo tabularii Abbatiae Maurimonasteriensis.

B*ertoldus* Divina permiſſione argentinenſium Epiſcopus, omnibus hanc paginam inſpecturis in perpetuum. Cum ex injuncto nobis officio univerſis Eccleſiis in noſtra dioeceſi conſtitutis in ſuis teneamus neceſſitatibus ſollicitudinem impertiri paſtoralem, ſpecialiter tamen illis adſtringigimur, qui Domino jugiter comprobantur, arctius famulari, Inde eſt, quod nos venerabilis fratris noſtri *Ottonis Mauri monaſterii* abbatis, ipſiusque coenobii conventus devotione conſiderata, graves nihilominus & diverſas ejus hinc inde jacturas attendentes reditus omnes integraliter *parochiae*, quae *Superior* nuncupatur, in Loco memorato & Capellarum ſuarum quemadmodum bone memorie anteceſſor noſter *Heinricus* eidem loco contulit & donavit, ſicut in Litteris ſuis liquet expreſſius, cenobio prefato ſalvo jure concedimus & donamus, ita tamen, ut juxta noſtram & eiusdem loci choriepiſcopi diſpoſitionem vicario poſt mortem plebani nunc tenentis eandem ibidem perpetuo ſervituro prebenda ſufficiens & ydonea conſtituatur, qui tam nobis & choriepis-

copo ſupradicto, quam noſtris ſucceſſoribus lege videlicet jurisdictionis ſubjectus exiſtat, pariter & dioceſana. Idem etiam vicarius ab abbate loci prefati in eadem prebenda perpetuus Choriepiſcopo, qui pro tempore fuerit, preſentetur, per eundem Choriepiſcopum inveſtituram recepturus. Igitur quoniam hanc de conſenſu capituli noſtri ſcientia voluntateque tam plenaria quam expreſſa fecimus donationem, ad firmiorem eius ſtabilitatem ſigillo noſtro & Capituli prenominati ipſam fecimus ſolemniter communiri. Actum eſt anno verbi incarnati MCCXXV, preſentibus *Reinhardo* prepoſito, *Bertoldo* Decano, *Friderico* cantore, *Udalrico* Scholaſtico argentinenſi, & aliis quam pluribus.

LXXV.

CONRADUS PORTUENSIS ET SANCTE *RUFINE* EPISCOPUS LEGATUS APOSTOLICUS CONFIRMAT MONASTERIO OMNIUM SANCTORUM JUS PATRONATUS ATQUE REDITUS ECCLESIAE IN *NUSSBACH* ET CAPELLARUM EIDEM ANNEXARUM IN *OBER KIRCH* ET OPPENAU.

Ex autographo tabularii Omnium Sanctorum.

C. miſeratione divina portuenſis & ſancte *Rufine* Epiſcopus, apoſtolice ſedis Legatus, dilectis in *Chriſto* prepoſito & conventui omnium ſanc-

ſanctorum premonſtratenſis ordinis, ſalutem in Domino. juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem prebere conſenſum, & ea, que a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Ea propter, dilecti in *Chriſto* veſtris precibus inclinati, donationem juris patronatus Ecclesie in *Nuſsbach* & Capellarum eidem ecclesie annexarum, videlicet *Obernkirch* & *Noppenowe* & reddituum ipſius ecclesie, quando eam vacare contigerit, a nobili domina Duciſſa de *Scowenburg Uta* nomine, conſentiente nobili viro *Eberhardo* de *Eberſtein* eius herede vobis factam, Venerabilis in *Chriſto B.* Epiſcopi argentinenſis & ſui Capituli accedente conſenſu, prout in eorum litteris plenius continetur, vobis, factam, ſicut provide & rationabiliter eſt factum, auctoritate legationis, qua fungimur, confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio, communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſiquis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ſe noverit incurſurum. Datum *Friburgi*, ſecundo nonas aprilis.

4. Apr.

LXXVI.

BERTHOLDUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS CASTRUM *GIRBADEN* ET EJUS ATTINENCIAS *SIMONI* COMITI LEININGENSI ET DAGSBURGENSI IN FEODUM CONCEDIT.

Ex libro falico Majoris Capituli Argentinenfis. fol. 76.

B. Dei gratia argentinenfis Epifcopus, omnibus hanc paginam infpecturis, falutem in perpetuum. Noverint univerfi, quod *S.* comes de *Dagesburc* (a) nobis & ecclefie argentinenfi, noftrifque fucceffforibus, quicquid juris in Caftro *Girbaden* antiqui & novi cum fuis pertinentiis, tam in hominibus, quam in poffeffionibus, vel aliis quibuscunque habebat, tradidit & donavit; nos autem univerfa, que funt intra decurfum alvei, qui vulgo *Rintbach* nuncupatur, ufque in *Brufcam* fluvium ex una parte, & ex altera a prato comitis juxta alveum qui *Magelle* dicitur, ufque in *Brufcam* fimiliter dirigentis, quod nobis & tam in hominibus, caftellanis, refidenciis & eorum pertinenciis, poffeffionibus mobilibus & immobilibus, cum omni jure ad manus noftras & ufus noftros nobis & Ecclefie noftre retinemus; excepta quadam muuicione in exteriori parte *novi caftri* verfus rupem, qui dicitur *Valckenftein* fita cum quatuor manfionibus, videlicet domo *Waltrami*, *Rudolfi* de *Baldeburnen* *Anfelmi* advocati in *Wazzelheim*, & *Dietheri* de *Bifchovesheim* militum, vinea

nea quoque cum prato & curti ovili, que videlicet devocionis eius intuitu ac omnia extra terminos memoratos, & in Vaſallis, qui de bonis illis ſunt infeodati, poſita comiti tanquam privatum & abſolutum feodum jure feodali conceſſimus, uni ſuorum heredum, & eo mortuo, iterum alteri, cui comes decreverit, adoptandum. promiſimus inſuper comiti ipſum in bonis ad dotem ſuam pertinentibus contra omnem hominem defendere, & manutenere, & auxilium ſibi ferre, quemadmodum quivis Dominus vaſallum ſuum libero & privato homagio obligatum ferre tenetur, pro quibus omnibus fideliter obſervandis dedimus ſibi mille marcas, fide qua ſi unquam contra formam, aut promiſſionem pretaxatam venerimus, niſi infra XV dies poſt amonicionem comitis emendare curavimus, & VI. arbitri ad hoc communiter electi. *H.* Comes de *Werde* videlicet, *O.* de *Obſenſtein. E.* de *Andelabe B.* de *Geroltſecke*, *W.* Scolaſticus & *A. Begere*, aut eligendorum, ſi aliquis eorum deceſſerit, promiſſionem violatam judicaverint, nos ad civitatem argentinenſem intrare tenemur, nunquam inde, niſi prius ſolutis mille marcis predictis, quin ſemper de nocte ſimus in civitate aliquatenus receſſuri, & nobis hoc promiſſum infringentibus noſtra fide ad idem & ſub eadem forma verſa vice promiſit nobis comes pro ſe & ſuis in hoc feodo ſucceſſoribus & in eodem adaptandis, idem auxilium & omnino ſub eadem forma. inſuper quod ſi unquam feodum memoratum, vel aliqua de bonis, que jam habet in Alſatia, vel habiturus eſt; ad eandem pertinen-

ciam vendere, permutare, obligare, aut quomodolibet alienare voluerit, ſine conſilio, ſcientia & voluntate Epiſcopi hoc facere non poteſt, nec debet, & ſecundum eſtimationem quatuor ad hoc communiter electorum, videlicet *H.* Comitis de *Werde*, *E.* de *Andelabe*, V. Scolaſtici & *A. Begere*, aut eligendarum, ſi aliquis eorum deceſſerit erga nos, vel noſtrum ſuceſſorem alienabit, vel obligabit, & ſi hanc promiſſionem ſuam, aut eius formam violare preſumpſerit, feodum ſuum totum, quod ab Eccleſia noſtra tenet, ſi amonitus a nobis infra XV. dies non reſipuerit, nec emendaverit, & VI. predicti arbitri promiſſionem & conventionem violatam judicaverint, vacabit & ab omni obligatione noſtra ſuperius promiſſoria, ac fide juſſoria nos & noſtri fide juſſores erimus penitus abſoluti. Promittimus & nos comiti memorato, quod ſi contingat nos proprietates caſtrorum de *Tagesburc* & de *Berenſtein* cum ſuis pertinenciis nobis, vel Eccleſie noſtre conquirere, ſibi proprietates easdem in feodum ſub ſepedicta forma feodali, & ſecundum quod predicti quatuor arbitri ab utraque parte faciendum decreverunt, in feodum concedemus. Ut autem hec omnia perpetua roborentur firmitate, ſigillo prefati comitis fecimus ſolempniter & publice communiri. Acta ſunt hec preſentibus *B.* Decano *V.* Scolaſtico, & *Ar.* de *Burglen*, Canonicis majoris Eccleſie in *argentina*, *H.* comite de *Werde*, & *O.* de *Obſenſtein*, *B.* de *Geroltſecke*, advocato de *Hunsvelt*, *E.* de *Andelabe*, *E.* de *Mundingen*, & *A.*

Bege-

Begere, anno M. CC. XX. VI. menſe Septembri, in die *Michaelis*.

29. Sept.

(a) *Simon* comes Leiningenſis, qui fuit haeres comitatus Dagsburgenſis per uxorem ſuam *Getrudem* filiam *Adelberti* ultimi Dagsburgenſis comitis —

LXXVII.

STATUTA PROMULGATA IN CAPITULO CATHEDRALIS ARGENTINENSIS.

Pro conſervatione ſtatus Eccleſiaſtici, jurisque, honoris & Libertatis totius cleri civitatis & Dyoceſis argentinenſis, Nos Prepoſitus, Decanus, totumque capitulum Eccleſie argentinenſis ſtatuimus, ordinamus, provida deliberatione prehabita conſenſu unanimi, & antiquis eccleſie noſtre ſtatutis annexos eſſe volumus articulos ſubnotatos. Primum ſcilicet, quod venerabilis Pater Dominus noſter Epiſcopus argentinenſis, qui proxime creatus fuerit in noſtra Eccleſia, & ejus in perpetuum ſucceſſores clericos ſibi ſubjectos, quibus plerumque Layci opido ſunt infeſti, ab oppreſſionibus & violenciis laicorum, in quantum ipſi poſſibile fuerit, debeant defenſare, & ne a Laycis ad forenſia judicia trahantur inviti, ipſisque clericis violenciam vel injuriam paſſis a Laycis ſatisfactionem congruam, vel emendam pro viribus procurare, ſecundum quod idem Domi-

nus

nus Episcopus & ejus in perpetuum successores clericos decedentes vel mortuos velamentis Indumentis, suppellectilibus, vel aliis bonis suis spoliari non consenciant, neque sinant, sed talium bona disponi procurent secundum dispositionem & voluntatem ultimam decedentis, vel alias prout de jure fuerint disponenda tercium quod prefatus Dominus Episcopus & ejus in perpetuum successores, Prelatis, Canonicis, Abbatibus abbatissis & aliis clericis vel monasteriis, aut Ecclesiis sibi subjectis exactiones aliquas, vel collectas, tallias, aut contributiones imponere non debeant, vel ab eis invitis exigere, aut aliquatenus extorquere nisi secundum quod Episcopis a juribus est permissum quartum quod Idem dominus Episcopus, vel ejus in perpetuum successores proventus, vel redditus beneficiorum vacantium vel non vacantium invitis eorum rectoribus & patronis percipere non debeant ad usus suos qualescumque, sine licentia sedis apostolice speciali. Quintum quod ipse Dominus Episcopus & ejus in perpetuum successores officialem curie argentinensi dare vel facere non debeat alium quam canonicum verum ecclesie nostre, prout etiam in nostra Ecclesia in antiquis retroactis temporibus dinoscitur esse factum, sextum quod duobus vel pluribus pro beneficio quovis vacante contendentibus, fructus & proventus dicti beneficii, lite pendente, percepti vel percipiendi per loci archidiaconum, aut eum, vel eos qui per ipsum eorum conservationem fuerint deputati futuro rectori fideliter reserventur, & lite finita integre assignen-

tur.

tur. juravimus igitur omnes & ſinguli ad ſancta Dei Evangelia corporaliter tacta a nobis nos ſervaturos inviolabiliter omnia & ſingula prenotata, nec contra ea venire vel impetrare a ſede apoſtolica, vel aliunde, aut facere quoquomodo. Actum in craſtino exaltationis ſancte *Crucis* anno Domini M. CC. nonageſimo nono.

15. Sept.

Ex libro membranaceo Majoris Capituli Argentin. dicto libro Regulae. fol. 26.

LXXVIII.

CHARTA *JOHANNIS* EPISCOPI ARGENTINENSIS DE FERENDA TONSURA CLERICALI &c.

Johannes Dei gratia Epiſcopus argentinenſis. Univerſis & ſingulis prelatis, Canonicis, Rectoribus, aliiſque clericis civitatis noſtre argentinenſis cujuscunque ordinis fuerint, etiam ordinis Acolitatus, dummodo gaudere voluerint, privilegio clericali ſalutem in Domino. Licet inter alia clericalis honeſtas jure teſtante in tonſura & corona congruentibus exiſtat, nonnulli tamen ex vobis circa obſervationem hujusmodi tonſure & corone congruentium ſe exhibent negligentes. Immo quod ſeverius eſt ipſis penitus non utuntur, nec hactenus utebantur, quod non ſolum eſt ſacris canonibus inimicum, ſed etiam periculoſe Laycos ſcandalizat, ſicut experientia docuit, at-

que docet. Nos volentes periculosam hujusmodi negligenciam supplere, prout nostri officii debitum exigit & requirit, vos & quemlibet vestrum hortamur in Domino & paterna suadela monemus, ut quisquis vestrum a festo Pentecostes proxime venturo in antea secundum majus & minus juxta sui status & ordinis prerogativam hujusmodi tonsura & corona utatur sub pena excommunicationis Late sententie quod ex tunc, ut ex nunc, in his scriptis ferimus rebelles qua etiam sententia excommunicationis quemlibet vestrum teneri & astringi volumus, qui a dicto festo in antea portaverint caligos omnino rubei, viridis croceique coloris. Volumus etiam & mandamus sub pena, de qua premittitur, ut nullus sacerdotum nobis subjectorum a festo beati *Johannis Baptiste* proxime venturo in antea prebendam aliquam officiare presumat, nisi hujusmodi prebenda de bonis, redditibus seu proventibus perpetuis dotata fuerit, & super hujusmodi dotacione publicum instrumentum sigillo curie nostre habeat communitum, Injungentes omnibus & singulis quicumque super hoc ex parte nostra fuerint requisiti in virtute sancte obedientie & sub pena excommunicationis, ut presens nostrum mandatum in Choris majoris, sancti *Thome*, & sancti *Petri* junioris Ecclesiarum argentinensium publicent, & alibi, ubi fuerit, opportunum. Datum II. Idus Martii anno Millesimo trecentesimo decimo septimo.

Ex libro salico cit. fol. 89.

LXXIX.

LXXIX.

ORDINATIO CIRCA DIVINUM OFFICIUM IN CATHEDRALI ARGENTINENSI.

In nomine Domini Amen. Nos *Joannes* Dei gratia episcopus argentinensis cupientes divinum officium in choro ecclesie nostre argent. rite, ordinabiliter & sine perturbatione celebrari qualibet, sicut decet, de consilio & consensu fratrum nostrorum Decani & Capituli ecclesie argent. jam dicte, statuimus & ordinamus, quod de cetero nullus cujuscunque altaris ecclesie majoris presbyter, canonicus vel prebendarius presumat missam cum nota vel sine nota vel aliud divinum officium celebrare, antequam in choro predicto, in quo divinum officium est sollempniter celebrandum, a quo etiam quoad divinum officium alie civitatis & diocesis argentinensis ecclesie regulantur, matutinum officium sit completum, & quod nullus eorumdem postquam prima in choro predicto fuerit inchoata, usque ad finem Misse majoris, & Sexte, vel None, que ipsi Misse continuantur, presumat missam vel aliud divinum officium celebrare, vel inceptum cum nota aliquatenus continuare; volentes ut contra hoc statutum facientes, postquam ad ipsorum nocitiam pervenerit, sententiam excommunicationis incurrant ipso facto. Preterea, quia frequenter inter presbyteros noviter ordinatos, prout ad nos fama referente pervenit, quidam eorum, prius ad celebrationem prime Misse in Ecclesia nostra admittantur,

tur, lites & quod verendum eſt dicere, convicia oriuntur, ex quo populus ſcandalizatur, cum id ex radice avaritie procedere videatur, ſtatuimus & preſenti decreto ſub pena excommunicationis jam late ſententie prohibemus, ne de cetero aliquis ad celebrationem prime Miſſe, qui non ſit de civitate argent. oriundus, vel qui non habuerunt domicilium in ipſa, vel moram ut incola ibidem traxerit, admittatur, & nec admiſſus, ſub pena predicta, miſſam primam in Eccleſia noſtra argent. celebret quocunqne modo, verum quia hoc avaricie vitium in religioſis maxime eſt ſuccidendum, idcirco huic ſtatuto adijcimus, quod de cetero nullus religioſus ſub pena predicta, quam admittentem & admiſſum incurrere volumus ipſo facto, ad celebrationem prime miſſe in Eccleſia noſtra argent. ullatenus admittatur. ad hec ſtatuimus & ſub pena excommunicationis jam late ſententie prohibemus, ne inpoſterum aliquis clericus beneficiatus, vel in ſacris ordinibus conſtitutus cujuscunque dignitatis, conditionis, vel ſtatus exiſtat, eundo per civitatem argentinenſem cinctus incedat, deſuper more Layco cultellum defeferens in cinctura in opprobrium manſuetudinis clericalis, ſed in honeſto incedat habitu, ſicut decet ordinem clericalem. Inhibemus etiam preterea omnibus presbiteris canonicis & prebendariis eccleſie noſtre argentinenſis & etiam Capellanis, qui Choro, eccleſie noſtre non ſunt aſtricti, ſub pena excommunicationis late ſententie, ne cetero ipſam eccleſiam ſine religione ingredi preſumant, donec in choro eccleſie noſtre divina officia

officia peragantur. Datum feria tercia post *quasi modo* anno Domini 1318.

2. Maji.

LXXX.

JOHANNES EPISCOPUS ARGENTINENSIS PROMULGAT CONSTITUTIONES CONCILIJ VIENNENSIS.

Johannes Dei gratia Episcopus Ecclesie argentinensis Universis. . . . . Archipresbyteris, plebanis, seu vice plebanis, nec non sacerdotibus quibuscunque in civitate & diocesi divina celebrantibus, salutem & sinceram in Domino Karitatem. Ne per ignoranciam quarundam constitutionum in *Concilio Viennensi* editarum, in quibus multa sub excommunicationis, suspensionis & interdicti sentenciis jam Latis fieri precipiuntur, quedam vero sub eisdem sententiis fieri prohibentur, excommunicationis suspensionis & interdicti, vel irregularitatis laqueum incidatis, & subditi vestri per communionem incidant in peccatum, vobis quasdam ex eis, clero precipue, & universali Ecclesie necessarias & utiles, seu ipsarum mentem summariam infra perstrinximus, & eas per vos sciri & observari, nec non in vestris Cancellis coram subditis vestris, si necessitas vel utilitas id exposcat, volumus sollempniter publicari, cum vos juris ignorantia non excuset. In primis igitur vobis universis & singulis

lis publicamus quod ſub titulo de reliquiis & veneratione ſanctorum ſtatuit *Concilium Viennenſe* predictum, videlicet, quod glorioſum feſtum pretioſiſſimi ſacramenti Corporis & ſanguinis Domini noſtri *Ieſu Chriſti* feria quinta poſt octavam pentecoſtes proxima annis ſingulis cum novem lectionibus, & per octavam cum tribus devote & ſollempniter celebretur. Unde vobis & ſingulis veſtrum in virtute ſancte obedientie injungimus firmiter & diſtricte ut officii de hoc ſpecialiter ordinati tenorem & ordinem, vobis uſque ad feriam quintam preſcriptam poſt feſtum Pentecoſtes proxime nunc venturam, cujus officii vobis in Eccleſia noſtra argentinenſi copiam fieri volumus, veſtris ſumptibus procuretis, Ita quod dicto die, & de cetero ſingulis annis dictum officium eodem die tempore revoluto ſollempniter peragatis ſubditos quoque veſtros dominica dictam quintam feriam precedente moneatis, ut per puram confeſſionem Elemoſinarum Largicionem, attentas & ſedulas orationes & alia devotionis & pietatis opera taliter ſe ſtudeant preparare, quod hujusmodi ſacramenti pretioſiſſimi mereantur fieri participes illo die & ejus virtute augmentacionem conſequi gratiarum. Ipſis quoque ſubditis indulgenciam quam exaudicione divinorum illis diebus quibus hujusmodi officium agitur conſequantur, Lucide exponatis. Videlicet omnibus vere penitentibus & confeſſis qui matutinali officio feſti eiusdem in Eccleſia in qua idem celebratur, interfuerint. Centum qui vero miſſe totidem, qui autem in primis ipſius feſti veſperis inter-

terfuerint ſimiliter centum. In ſecundis veſperis totidem. Illis autem qui per octavas illius feſti, matutinalibus, veſpertinis, Miſſe aut praedictarum horarum officiis interfuerint, centum dies ſingulis octavarum ipſarum diebus de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum auctoritate, de injunctis ſibi penitentiis relaxantur.

Item ſub titulo de *teſtamentis* & ultimis voluntatibus ſtatuit concilium antedictum, quod religioſi etiam exempti quicunque executores eſſe non poſſunt cujuslibet ultime voluntatis, niſi ſuperiorum ſuorum petita licentia & obtenta, Et quod locorum Epiſcopis cum executionis officium ſusceperint, de ſuſcepte executionis officio tenentur reddere rationem, & quod Epiſcopi eos, quos deliquiſſe circa id repererint punire poſſint pena debita quocunque privilegio non obſtante.

Item ſub titulo de *Sepulturis* ſtatuit concilium memoratum, quod quicunque in contemptum clavium Ecclesie in Cymeterio tempore interdicti excommunicatum publice vel interdictum nominatim, vel uſurarium manifeſtum ſepelire preſumpſerit ſcienter excommunicationis ſententiam incidat ipſo facto, a qua nullatenus abſolvitur niſi ad arbitrium dioceſani Epiſcopi ſatis faciat competenter ei, cui per ſepulturam hujusmodi fuerit injuria irrogata. Nullo contra premiſſa exceptionis vel quovis alio privilegio ſub quacunque forma verborum conceſſo aliquatenus ſuffragante.

Item ſub titulo de *parochiis & alienis parochianis*, ſtatuit concilium ſupradictum, quod fratres pre-

predicatores & minores ac ceteri religiosi Ecclesias parochiales ad predicandum non debent accedere, nisi a parochialibus sacerdotibus fuerint invitati, seu ipsorum petita licentia & obtenta, nisi Episcopus loci vel prelatus superior per eos predicari mandaret. statutum est etiam in eodem concilio, quod non omnes fratres dictorum ordinum undecunque venientes, ad predicandum vel ad confessiones audiendum debent admitti, sed illi tantum, quos locorum Episcopi ad hujusmodi officium in suis diocesibus duxerint admittendos. Idem quoque fratres per hujusmodi concessionem vel admissionem Episcoporum non majorem habere debent auctoritatem quam presbyteri parochiales, nisi Episcopi gratiam eis in hoc faciant ampliorem, & licet dicti fratres liberam habeant sepulturam tamen ne parochiales Ecclesie & ipsarum curati seu Rectores qui ministrare habent Ecclesiastica sacramenta, quibusve de jure competit predicare, & confessiones audire fidelium, debitis beneficiis defraudentur, statuit concilium predictum, quod dictorum ordinum fratres de omnibus obventionibus tam funeralibus quam de quibuscunque & quomodocunque relictis distincte vel indistincte ad quoscunque certos vel determinatos usus de quibus etiam quarta sive canonica porcio dari sive exegi non consuevit, vel non debet de jure, nec non de datis vel qualitercunque donatis, in morte, seu mortis articulo, in donantis vel dantis infirmitate, in qua decesserit quomodocunque directe vel indirecte fratribus

ipsis,

ipſis, vel aliis pro eisdem quartam partem auctoritate apoſtolica taxatam & limitatam parochialibus ſacerdotibus, & earum rectoribus, ſeu curatis largiri integre teneantur. Item ſtatuit dictum concilium quod ſi dicti fratres procurent, quod hujusmodi relicta fiant ad utilitatem & commodum eorum, talibus perſonis, a quibus hujusmodi quarta minime deberetur, vel quod donata vel data procedant ad tales perſonas ſeu ſi procurent in ſanitate donantium ſibi dari vel donari, quod in infirmitate eorundem donancium vel dancium, dandum vel donandum exiſteret, quod in hoc ipſorum conſciencie onerentur & ſi dolum vel fraudem premiſſis adhibuerint, voluit concilium, quod obligati remaneant ſacerdotibus, & nihilominus deſtricta ratio in extremi Iudicii examine requiratur. Revocavit etiam, vacuavit, caſſavit, & irritavit. Immo caſſa, vacua & irrita nunciavit, & nullius prorſus exiſtere firmitatis univerſa privilegia, gratias, verbo, ſeu ſcripto ſub quacunque forma, expreſſione ſeu conceptione verborum a Romanis Pontificibus dictis fratribus conceſſa, nec non conſuetudines, conventiones, ſtatuta & pacta, in quantum premiſſis, vel alicui premiſſorum fuerint contraria.

Item ſub titulo de *exceſſibus privilegiatorum* ſtatuit concilium ſupradictum, quod religioſi clericis aut Laycis non debent ſacramenta Euchariſtie vel extreme Unctionis miniſtrare, vel matrimonia ſollempnizare, niſi de licentia parochialis presbyteri ſpeciali. Item excommunicatos a canone non debent abſolvere, nec a ſententiis per

 ſtatu-

ſtatuta provincialia aut ſynodalia promulgatis. Item quod non debent abſolvere quenquam a pena & a culpa. Et ſiquid horum fecerint, excommunicationis ſentenciam incidunt ipſo facto, per ſedem tantum apoſtolicam abſolvendi. Et quod Epiſcopi, poſtquam de hoc eis conſtiterit, ipſos excommunicatos faciant publice nunciari, donec de ipſorum abſolucione, eis ſcilicet Epiſcopis fuerit facta fides. Nullo religioſis eisdem contra premiſſa exceptionis vel alio privilegio ſuffragante. Inhibitum eſt eis etiam, ne in predicationibus ſuis, Eccleſiarum prelatis detrahant, id eſt, male loquantur, aut Laycos retrahant ab Eccleſiarum ſua frequencia vel acceſſu. Item quod Indulgencias non pronuncient indiſcretas, id eſt, nimias, Item ne cum factionibus teſtamentorum intererunt, teſtatores retrahant a reſtitutionibus debitis, aut a Legatis Eccleſiis matricibus faciendis. Item quod legata incerta vel debita incerta, & male ablata incerta, id eſt, vagos reſtituciones ſibi, fratribus ſui ordinis vel conventibus ipſorum erogari in aliorum prejudicium non procurent.

Item quod neminem abſolvere preſumant in caſibus ſedi Apoſtolice, aut locorum Epiſcopis reſervatis. Item quod nullum contra eos ſuam juſticiam proſequentem vexare indebite, & ad loca publica & remota convenire preſumant. Contrarium facientes penis per duos menſes ſubjaceant illis, que ſecundum eorum regulam vel ſtatuta eis imponi pro gravibus culpis & criminibus conſueverunt. Et quod cum ipſis abſque manifeſta

festa necessitate super premissis non valeat dispensari. Ceterum Prelati eorum, nisi de his, que occasione premissorum excessuum, ad eos quoquomodo pervenerint, Ecclesiis aut personis Ecclesiasticis dampnificatis vel lesis satisfactionem exhibuerunt infra mensem, postquam super hoc fuerint requisiti, suspensionis sententiam, eo ipso incurrant. non obstantibus in premissis statutis aut quibuslibet aliis privilegiis cujuscunque tenoris existant.

Item sub titulo de *penis* statutum est in concilio supradicto, quod religiosi retrahentes in sermonibus suis vel alibi quoscunque a solucione decimarum Ecclesiis debitarum excommunicationis sententiam incidunt ipso facto. Item injunctum est eis sub intimacione maledictionis eterne, quociens publico predicabunt, in prima Dominica quarta & ultima quadragesime & in festis Ascensionis Dominice Penthecostes, Nativitatis beati *Johannis Baptiste* assumptionis & Nativitatis beate Virginis verbum Dei audientes expresse studeant informare, si ab Ecclesiarum Rectoribus vel eorum vicariis, aut loca tenentibus eorundem fuerint requisiti, nec non ex his, quorum confessiones audient, conscientiam facere, ut decimam solvere non omittant, quicunque vero scienter confitentibus conscientiam facere de solvendis decimis omiserit, a predicationis officio suspensus maneat ipso facto, donec conscientiam sibi confitencium informaverit, si de hoc commode habuerit facultatem. Qui vero predicta negligen-

tia non purgata predicationis officium preſumpſerit exercere, excommunicationis ſententiam incidat ipſo facto. Item quod quicumque religioſus vel clericus ſecularis aliquem inducit ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum quod ſepulturam apud ſuam Eccleſiam eligat, vel jam Eccleſiam non immutet propter penas antiquorum jurium, que in ſua permanent firmitate excommunicationis ſentenciam incidant ipſo facto, ab alio, quam a ſede apoſtolica, preterquam in mortis articulo, nullatenus abſolvendus, Nullis privilegiis aut ſtatutis ſuper hoc in contrarium valituris.

*) Item ſub titulo, de *Sententia excommunicationis*, ſtatuit concilium ſupradictum, circa interdictorum obſervantiam, auctoritate ſedis apoſtolice vel Epiſcopi loci poſitorum, quod Religioſi quicunque tam exempti, quam non exempti, cujuſcunque ordinis ſeu condicionis exiſtant, cum cathedralem & matricem ſive parochialem loci Eccleſiam interdictam viderint aut ſciverint obſervare, non obſtantibus appellacionibus quibuſcunque etiam ad ſedem apoſtolicam, vel alium ſeu alios interjectis, & aliis objectionibus quibuscunque, abſque dolo vel fraude cum moderamine decretalis. *Alma* que eſt de *ſentencia excommunicationis* titulo VI. inviolabiliter illud ſervent. Alioquin non obſervantes hoc ipſo excommunicationis ſententia ſubjacebunt, quod etiam in interdictis,

*) Quae ſequuntur eraſa ſunt in autographo illa damus ex libro Salico Capituli Majoris Argent:

dictis, & in ceſſationibus divinorum per provincialium conciliorum ſtatuta, vult inviolabiliter obſervari; In ceſſationibus vero generalibus a divinis quas quandoque Capitula, collegia, vel conventus ſecularium Eccleſiarum ac regularium ſibi vendicant, ad repellendas injurias eis factas idem vult per omnia obſervari. hoc etiam ſtatutum non ſolum ad futura, ſed ad nunc pendentia trahitur, non obſtantibus privilegiis convencionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus quibuslibet, que contra premiſſa vel aliqua premiſſorum religioſis ipſis non vult ullatenus vel in aliquo ſuffragari. Item ibidem ſtatuit concilium ſepedictum, quodque in locis interdicto ſuppoſitis quemquam decreto divina celebrare officia quomodolibet cogere, aut ad eadem officia audienda excommunicationis vel interdictionis vocare, ſeu qui excommunicatos aut interdictos de Eccleſiis, dum in ipſis Miſſarum aguntur ſollempnia, monitos ne exeant, prohibent, aut qui excommunicati publice & interdicti nominatim, in ipſis Eccleſiis a celebrantibus ut exeant moniti remanere preſumpſerint, excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto, a qua non niſi per ſedem poſſunt abſolvi. Item ſtatuit concilium ſupradictum ne fratres minores aliquem vel aliquos fratres & ſorores de ordine tercio beati *franciſci* qui continentes ſeu de penitencia nuncupantur, ad divina admittant quoquomodo in ſuis Eccleſiis tempore interdicti quod ſi fecerint, eo ipſo excommunicationis ſententie a qua non niſi per Romanum Pontificem, vel ſatisfactione premiſſa per locorum

 Epis-

Episcopos, quos auctoritate apostolica fungi voluit in hac parte absolutionis beneficium valeant obtinere. Datum *Argentine* XI. Kal. Augusti. Anno Domini Millesimo Trecentesimo Decimo Octavo.

22. Jul.

Ex libro salico cit. fol. 87.

LXXXI.

ORDINATIO CIRCA JURISDICTIONEM ARCHIDIACONORUM ECCLESIAE ARGENTINENSIS.

Nos *Johannes* Dei gratia Episcopus argentinensis, nobis subjectis medelis congruis cupientes paterna sollicitudine providere ne ipsi coram judicibus ecclesiasticis ordinariis delegatis aut arbitris infra civitatem & diocesim argent. litigantes per dispendiosas protractiones litium & onerosa sibi patrocinantium salaria gravibus afficiantur laboribus & expensis, hoc facile fieri speramus si in quantum nobis de jure permittitur subtilitatem ordinis judiciarii precidamus, modum salariis advocatorum coram prefatis judicibus postulantium & procuratorum ponamus & eos, qui circa dicta versantur judicia optimis remediis dirigamus.

Statuimus igitur, archidiaconorum ecclesie nostre argentinensis, qui jurisdictioni presunt ordinarie de consuetudine in jam dicta ecclesia hactenus

tenus observata accedente consilio & consensu, quod in causis mere civilibus ad forum tamen ecclesiasticum de consuetudine spectantibus summam quatuor librarum denariorum argentinensium non excedentibus de plano & absque strepitu judicii sine libello & obmisso judiciario ordine procedatur, in quibus etiam causis civilibus advocatorum & procuratorum gradu vel ordine non attento omnes a jure non prohibiti ad postulacionis officium admittantur, in aliis vero causis privatarum & singularium personarum in prefatis judiciis nec procuratores advocatorum nec advocatos procuratorum nec unam eamdemque personam utriusque volumus fungi officio. Statuimus etiam quod nullus Litterarum portitor seu lator & nuncius curiarum nostre vel archidiaconorum ecclesie nostre argentinensis nec alius notarius juratus dictarum ecclesiarum curiarum coram judice eius curie, cujus juratum existit quantumcunque viles causae fuerint in postulacione vel procurationis officio pro aliis admittatur, nec ab eis substituti, ceterum ne cupiditatis ardor alicui advocatorum seu procuratorum nostre civitatis & dioceseos incentivam tribuat eiusmodi nostra statuta salubria contemnendi, inhibemus, ne patroni causarum advocationis officia in dictis judiciis infra civitatem & dioecesin nostras prefatas exercere volentes in causis agitandis super prelaturis & dignitatibus ecclesiasticis summam sex marcarum in causis super aliis beneficiis & ecclesiasticis curatis & simplicibus summam quatuor marca-

 rum,

rum, in causis matrimonialibus summam duarum marcarum, in causis injuriarum summam unius marce argenti, in aliis vero ecclesiasticis causis vel civilibus ad forum ecclesiasticum de jure vel consuetudine spectantibus extendentibus se ad valorem seu estimationem viginti librarum denariorum argentinensium summam unius libre dictorum denariorum excedant sub aliquo velamine vel colore, in hujusmodi etiam civilibus & ecclesiasticis causis si summam, valorem seu estimationem viginti librarum vel infra eandem summam fuerint pro rata quantitatis summe valoris seu estimationis causarum hujusmodi taxacionem proxime dicti salarii fieri volumus sine fraude.

Ex statutis Curiam Ecclesiasticarum Argentinensium an. 1388 renovatis.

LXXXII.

CONSTITUTIO *JOHANNIS* EPISCOPI ARGENTIN. CONTRA BLASPHEMATORES ET TEMERARIE JURANTES.

In Dei nomine Amen. Nos *Johannes* Dei gratia Episcopus argentinensis ad honorem Omnipotentis Dei, & propter commune bonum presentibus statuimus inviolabiliter observandum, ut clerici civitatis & dioecesis nostrae, cujuscunque ordinis status, conditionis, sive praeeminentiae fuerint a blasphemiis, jurationibus sive juramentis,

tis, voluntariis praecipue tamen inusitatis, sive inconsuetis circa Deum, ejus sanctos & maxime beatam virginem *Mariam* prorsus abstineant, & ut ipsi clerici maxime ab hujusmodi blasphemiis seu juramentis inusitatis, sive inconsuetis citius retrahantur cum ex mente rea utique procedere videantur, volumus ut quicunque clericus hujusmodi blasphemias seu juramenta inconsueta sive inusitata fuerit, penam unius solidi denariorum argentinensium qualibet vice contrahat & incurrat, nullam super hoc remissionem aliqualiter habiturus.

Injungimus etiam in virtute sanctae obedientiae & sub pena excommunicationis omnibus clericis non in Ecclesiis collegiatis constitutis, ut infra triduum a tempore notitiae praesentium quoscunque clericos extra ipsas collegiatas ecclesias constitutos quos circa hujusmodi blasphemias seu juramenta noverint deliquisse, ad notitiam Plebani seu vice plebani loci illius in quo taliter juratum fuerit perferant bona fide ipsi autem plebani seu vice plebani omnes personas eis taliter denuntiatas in proximo capitulo quod habebunt, in illo archipresbyteratus registratus fideliter approbabunt, & tunc per unum nuncium fide dignum ad parcendum laboribus & expensis personae hujusmodi registratae, officiali curiae nostrae argentinensis infra triduum, a tempore dicti Capituli destinentur, quem quidem quo ad hoc judicem seu executorem hujusmodi penarum constituimus specialem.

Si autem ipſi plebani ſeu viceplebani deliquerint in hac parte, hoc infra quindenam tempore notitiae denuntiari volumus officiali noſtro praedicto. Ut autem circa hujusmodi poenas non quae noſtra ſunt ſed que *Jeſu Chriſti* ſunt quaerere videamur, ſic volumus obſervari & penae ſic commiſſae per perſonas hujusmodi Eccleſiarum collegiatarum & alios clericos moram trahentes ſeu exiſtentes in parochiis, ipſarum Eccleſiarum collegiatarum & eisdem Eccleſiis collegiatis in noſtra civitate tantum unitis & incorporatis ad ornatum earundem Eccleſiarum collegiatarum noſtrae civitatis & diocesis per Decanos & Capitula ſua penitus convertantur, Penae autem aliorum clericorum civitatis & dioceſis noſtrae ad ornatum Eccleſiae noſtrae cathedralis argentinenſis, quae mater omnium ipſius civitatis & dioceſis noſtrae eſſe cenſetur, debent diſtribui & converti: praemiſſa omnia & ſingula ſub poenis praedictis precipimus ab omnibus inviolabiliter obſervari.

Blasphemias autem ſive juramenta inconſueta, ſive inuſitata praeterquam ſubſcripta videlicet per corpus Dei, per mortem Dei, per animam Dei, vitam Dei, ſanguinem Dei & cor Dei ex aliis autem blaſphemiis quae his minores fuerint, nullam praedictarum penarum pecuniariarum committi volumus, vel mereri. & licet in iis ſex juramentis ſive blaſphemiis pena temporalis hujusmodi ſic exceptis tamen voluntarie jurantes precipue clerici, ſunt gravius corrigendi, nec ipſa ſex juramenta a poena temporali praedicta propter

ter hoc excepta ſunt quod licitum ſit alicui ſic jurare, Imo clericos quaecunque praedictorum ſex modorum jurantes, cum id ad nos devenerit, poena condigua corrigere volumus, ut tenemur, Et eos ut ab ipſis retrahantur citius poenam unius denarii praeſcriptae monetae in modum praedictum convertendi vice qualibet incurrere ipſo facto.

Hoc etiam praeſens ſalubre noſtrum ſtatutum per omnes archipresbyteros ſacerdotes ſive clericos civitatis & dioceſis noſtrae quicumque ſuper hoc fuerint noſtri nomine requiſiti in omnibus & per omnia ſub poena praedicta publicari & fideliter obſervari praecipimus firmiter & diſtricte. Datum *argentinae* X Kalend. Maij, Anno Domini M°. CCC. viceſimo quinto.

Joannes Dei gratia Epiſcopus argentinenſis, dilectis in Chriſto Decanis Eccleſiarum in *Haſelabe*, *Rynowe*, *Lutenbach*, *Surburg* Sancti *Leonbardi* & Sancti *Adelphi* in *Novillari* ſalutem in Domino. Vobis in virtute ſanctae obedientiae & ſub poena excommunicationis injungimus firmiter & mandamus quatenus vos & quilibet veſtrum omnibus & ſingulis Canonicis praebendariis. vicariis aliisque clericis vobis ſubjectis, ſtatutum a nobis contra juratores & blasphematores clericos editum, cui preſens cedula noſtro ſigillo munita transfixa eſt, indicto ad hoc ſine dilatione quavis capitulo, praeſentibus & abſentibus, quam primum fieri poterit inſinuare curetis, ipſosque noſtra auctoritate monere. quos & preſentibus

nos

nos monemus ut infra triduum a tempore insinuationis vestrae fidem juramenti nomine praestent, ut si quod absit & quotiescunque eos venire contigerit contra dictum statutum, poenam eidem insertam persolvant & de ipsa satisfaciant juxta ejusdem statuti continentiam & tenorem, alioquin in omnes & singulos hoc promittere nolentes ex tunc excommunicationis sententiam proferimus in hiis scriptis. Datum *Argentinae* X°. Kalendas Maij. Anno Domini M°. CCC°. vicesimo quinto.

Ex antiquo Codice Collegiatae S. *Petri Senioris* fol. XIX.

22. Apr.

LXXXII. a

MONACHI S. *MAXIMINI* PROPE TREVIROS CHRONICON

ab Anno DCCVIII. usque ad annum. DCCCCLXXXVII.

Anno DCCVIII. Princeps Francorum *Drogo* obiit.

Anno DCCIX. primum *Pippinus* perrexit in Alemanniam contra *Vuillarium* Ducem.

Anno DCCXI. *Hildebertus* Rex obiit.

Anno DCCXIV. *Pippinus* obiit.

Anno DCCXV. *Dagobertus* Rex obiit.

Anno

Anno DCCXVI. primum pugnavit *Karlus* Dux contra *Ratbodum* Ducem.

Anno DCCXLI. *Karlus* Princeps obiit.

Anno DCCXLII. *Karlomannus*, & *Pippinus*, contra *Hunaldum* perrexerunt.

Anno DCCLI. *Pippinus* electus eſt in Regem, & *Hildericus* tonſuratus.

Anno DCCLXVIII. *Pippinus* Rex obiit, & *Karlus*, & *Karlomannus* Regnum ſuſcipiunt.

Anno DCCLXXII. *Karlomannus* obiit.

Anno DCCLXXVIII. *Lbudowicus* natus.

Anno DCCCIV. *Alcuinus* Abbas obiit.

Anno DCCCVI. pridie Nonas Maij, Luna XIIII. ſignum crucis mirabili modo in luna apparuit, & eodem anno, XIII. Kalendas ſeptembris, die Dominica hora IIII. corona mirabilis in circuitu ſolis apparuit.

Anno DCCCXIV. Indictione VII. XVII. Kalendas Auguſti, Feria II. incipiente, hora diei V. Ecclipſis ſolis apparuit, luna XXVIIII. *Karlus* Imperator obiit, & *Lbudowicus* Imperium ſuſcepit.

Anno DCCCXXXIII. *Lbudowicus* Imperium amittit, & *Lotbarius* illud ſuſcipit.

Anno DCCCXXXIV. *Lbudowicus* recipitur.

Anno DCCCXL. Eclipſis ſolis facta eſt IIII. feria ante Aſcenſionem.

Anno DCCCXLIII. *Manno* naſcitur.

Anno DCCCXLV. *Karolus* Rex per *Hedenulfum*, Laudanenſis Eccleſiae presbyterum, coepit congregare clerum ſub doctrina canonica Deo militaturum in coenobio a ſe fundato, quod prius

Re-

Regium, ac deinceps Apoſtolica auctoritate vocatum eſt novum.

. . . . Kalendas Aprilis. Ordinatio *Hedenulfi* Epiſcopi.

Anno DCCCLXXXII. Nortmanni *Treverim* cum Monaſterio ſancti *Maximini*, vaſtantes galliam, cremaverunt.

Anno DCCCLXXXVIII. *Karolus* Rex, Frater *Karlomanni*, defungitur & *Arnolfus* Rex conſtituitur.

Anno DCCCXCIX. *Arnolfus* Rex obiit. *Zuentibold* a ſuis interficitur.

Anno DCCCCXVII. *Ruodpertus* Epiſcopus obiit.

Anno DCCCCXXIII. Bellum in ſueſſionibus. Eodem anno *Karolus* Rex cuſtodiae datur.

Anno DCCCCXXVIIII. *Giſalbertus* Dux *Gerbirg* duxit uxorem.

Anno DCCCCXXX. *Otto* Rex ab Anglis ducit uxorem. *Carolus* Rex obiit in cuſtodia.

Anno DCCCCXXXI. Ordinatio *Ruodperti* Epiſcopi.

Anno DCCCCXXXIII. Cecidit Eccleſia ſancti *Maximini*.

Anno DCCCCXXXIIII. Converſio Monachorum ſancti *Maximini* & *Ugo* Abbas efficitur.

Anno DCCCCXXXV. obiit *Hildierus* Laicus.

Anno DCCCCXXXVII. *Heinricus* Rex obiit, *Otto*, Filius ejus ſucceſſit. *Arnoldus* Dux Bawariorum obiit. *Fulda* Monaſterium crematur; & Rex

Rex *Otto* Hungros uſque *Mettis* civitatem perſe-
quitur.

Anno DCCCCXLII. Dedicatio Eccleſiae ſanc-
ti *Maximini*.

Anno DCCCCXLV. Hoc igitur Anno, XVII.
Kalendas Octobris hora prima noctis apparuit ſi-
gnum in coelo, in ſeptentrionali parte, quod
ſignum quidam Antichriſti eſſe dicebant; & *Ugo*
Leodienſis Epiſcopus efficitur, & *Vuillerus* Ab-
bas conſtituitur.

Anno DCCCCLVII. *Vuillerus* Abbas obiit.
Vuickerus ſusceſſit.

Anno DCCCCLXI. *Otto* junior Rex efficitur,
& Eclipſis ſolis facta eſt.

Anno DCCCCLXVI. *Vuickerus* obiit; *Aſolfus*
ſucceſſit.

Anno DCCCCLXVII. *Aſolfus* obiit, *Dietfri-
dus* ſucceſſit.

Anno DCCCCLXXXIII. *Dietfridus* obiit, &
Ogo ſucceſſit.

Anno DCCCCLXXXVII. *Hogo* Abbas obiit,
Folmarus ſucceſſit.

LXXXIII.

STATUTA PRAEBENDARIORUM FRATRUM ET SORORUM HOSPITALIS SANCTAE *ELISABETHAE* INTRA MONASTERIUM S. *MAXIMINI* EXTRA MUROS TREVIRENSES. *)

Primo quando vinum eſt in bono foro, habebunt pro praebenda unam ſextellam, ſed in caro foro minus.

It. in quatuor ſummis feſtis, die dedicationis S. *Eliſabethae* & in quatuor diebus per annum quando fraternitas in Hoſpitali peragitur, quilibet de bona conſuetudine habebit parvum album panem.

It. de oleribus, piſis pulmentariis ſecundum quod tempus ſe offert per diem & rationabilem competentiam.

It. diebus dominicis, tertiis & quintis feriis tempore eſus carnium quilibet pro die duo competentia fruſta carnis habebit.

It.

*) Veſtigia hujus Sanctiſſimi moris plura ſuperſunt in Germania. quaedam commemoraſſe ſufficiat in coenobio Fuldenſi & Aſceterio *Sylvae Nigrae* a S. *Blaſio* piis Incolis nuncupato ubi Chriſtus in pauperibus recipitur. Fuldenſibus data ſunt privilegia, ut pauperibus & peregrinis tempore ſusceptionis uſus neceſſarios poſſint praebere ſecundum id quod ſanctae Regulae propoſitum atque mandatum jubet: *Monachos in ſuſceptione hoſpitum pauperumque ſemper eſſe paratos. Schannat. Hiſt. Fuld. T. I. p. 49.*

It. aliis diebus pulmentum eorum duo ova, vel modicum de caſeo, aut lac ſecundum rationem.

It. in quadrageſima quatuor dies per diem, unum halecem.

It. aliis diebus modicum de piſis, vel fabis aſſatis, aut nuces, vel alios fructus.

It. Praebendarii, qui habent cameras ſpeciales & foculatas, poſſunt in curia rationabiliter ligna accipere non nimis, ſed parvum, & competentem habere ignem, quod cellarius ſemper reſpicere debet, ne damnum fiat hoſpitali.

It. omnia illa debent fieri ſecundum quod redditus hoſpitalis per cariſtiam, vel pro tempore per lites ſtent.

It. omnes praedicti Praebendarii fratres & ſorores tenentur omni orare 30 pater noſter pro omnibus benefactoribus hoſpitalis vivis & defunctis.

It. tenentur in quadrageſima bis confiteri, & in adventu jejunare, qui ſani ſunt. tenentur ad minus in feſto paſchae & natalis Chriſti communicare.

It. omnino debent in hoſpitali eſſe pacifici & quieti, & faceti, cum nemine habere lites, nec contentiones.

It. Omnino non debent jurare, nec Deum blasphemare, & de nocte quieti eſſe.

It. non ſcurrilia verba aut turpia proferre in hoſpitali, quia ibidem ſunt loca conſecrata & reliquiae.

It. nullus audeat in hoſpitali circa altare nudis pedibus inhoneſte procedere, digeſtionem & uri-

 nam

nam portare, aut turpem ſonum cum ventre facere.

It. fratres debent aliquando ſecundum poſſibilitatem eorum ad minus ligna ad coquinam portare, piſa & fabas mundare, & in horto recolligere.

It. Sorores ibidem in ſimi, linum & canapum mundare, praeparare fila, in horto inutilia extrahere, olera, piſa & fabas mundare, linteamina & alia lavare & conſuere.

It. omnino omnes praedicti debent eſſe in licitis & honeſtis Domino hoſpitalario, cellerario, vel cui eſt commiſſum, obedientes.

It. ſi quis habet aliquem defectum in praebenda vel aliis, non debet habere litem, neque contentiones cum familia, nec cum ancillis, ſed referet defectum ſuum ad cellerarium, ſin autem ad hoſpitalarium, ſin autem ad Dominum Abbatem, vel in eius abſentia ad cellerarium qui pro tempore eſt in monaſterio.

LXXXIV.

ARNOLDUS ARCHIEP. TREVIRENSIS VARIA BONA AB *HENRICO* ABBATE S. *MAXIMINI* EXTRA MUROS TREVIR: HOSPITALI IBIDEM COLLATA CONFIRMAT.

An. 1266.

A*rnoldus* Dei gratia Trevirenſis Archiepiſcopus omnibus praeſentes literas inſpecturis ſalu-

salutem in Domino sempiternam. Dilecti in Christo filii Abbas & Conventus S. *Maximini* trevirensis nobis humiliter supplicarunt, ut collationem quarundam possessionum & jurium factam per dictum abbatem de laude & assensu jam dicti conventus Hospitalis ante fores Monasterii ipsorum dignaremur misericorditer confirmare. Tenor vero dictae collationis talis est. In nomine Domini amen. Quoniam humana fragilitas oblivioni est subjecta, ideo ea, quae aguntur in tempore, scripto solent annotari. Ad notitiam igitur universorum tam presentium, quam futurorum Nos Abbas *Henricus* Monasterii Sti *Maximini* trevirensis pervenire volumus, quod cum Nos ad honorem Altissimi & Sti *Maximini* patroni nostri, de assensu & voluntate conventus nostri possessiones annotandas dicto Hospitali duximus conferre, & contulimus perpetuo possidendas, videlicet duas partes decimae in *Ruttbiche* curtim de *Menningen* prope novum castrum, medietatem molendini in *Moudewort*, de molendino apud *Merche* dictum, quod mitselstrole dicitur, maldrum frumenti, tres vineas apud *Kevenich* cum censu & medietate decimae ibidem, duo jugera & dimidium tam in vineis quam campis apud *Isselsbach*, vineas, in *Riola*, quas *Methildis* bonae memoriae ibidem legavit apud *Lungnich* amam vini, quam *Sibodo* de *Schweich* & uxor eius *Wendelingundis* legaverunt, Item medietatem vineae cujusdam sitae in monte *Kierse* apud *Longnich*, quae dicitur *Henrici Lusci*, Item proventus vini & annonae in monte Matteva. Octo solidos de quadam vinea, quae dicitur

Banerſe apud *Merche* dictum. Petituram in curualia vineam apud *Waldracum*, quae fuit *Rorici* ibidem. vineam unam apud *Urium*, & viginti ſolidos cenſuum apud *Urium*, de bonis *Henrici Surdi* dicti ibidem. Item viginti ſolidos cenſuum de olea, quae dicitur *Philippi nigri* ſitae in poteſtate noſtra. De horto *Nicolai borre* in via S. *Remigii* ſex ſolidos cenſuum. Ortum, qui fuit *Henrici Ungarici* in hatis Epiſcopi. Apud *Mattenam* duodecim denarios de bonis canonis ibidem. Item de quadam vinea, quam colit *Sunnewiſch* duodecim denarios. De vinea quadam, quam colit filius *Wirici* de *curuatia* quindecim denarios. De domo *Nicholai* prope domum Epiſcopi in poteſtate noſtra quinque ſolidos. De domo *Gerardi ſagittarii* quatuor ſolidos. De vinea quadam apud *Baliane*, quae dicitur ad ſalius ſex denarios. De horto quodam prope hognum ſex denarios. De Domo & horto *Gertrudis Longe* in poteſtate noſtra ſextarium olei. Item de domo & horto *Hildegundis* ibidem ſextarium olei. De horto *Warneri Royoz* dimidium ſextarium olei. Item de arboribus ſitis circum hoſpitale & domum novam, & horto novo, qui dicitur *Gerardi* centurionis in poteſtate noſtra oleum inde proveniens. Item bona noſtra apud *Ilans*, *Jomez*, *Cloez*, *Fraſſenich*, *Brues*, *Sincii* cum omni jure quod habemus in eisdem, ut de praedictis poſſeſſionibus pauperes, debiles & infirmi ibidem venientes reficiantur, & in uſus eornm convertantur. Statuimus etiam de voluntate & aſſenſu conventus noſtri, ut praebenda Eleemoſinaria in Eccleſia no-

nostra, quae dicitur tricenaria, quae est in pane, vino & pulmentis coquinae, quam cito eam vacare contigerit, cedat sacerdoti celebranti divina in hospitali memorato. Habebit se etiam sacerdos dicti hospitalis taliter in exequiis fratrum nostrorum, qui per triginta dies in celebrandis missis fratris defuncti memoriam habebit. Et si in dicta Ecclesia nostra fuerit sepultus, ipsius sepulchrum memoratus sacerdos in veste religiosa quaeret per dictos triginta dies cum cottidiana commendatione. Si vero praefatus sacerdos in praescriptis inveniretur negligens, praebendam illius diei, in qua negligens fuerit, Provisor hujus hospitalis assignabit pauperibus. In cujus rei memoriam nos Abbas sigillum nostrum praesentibus duximus apponendum. Nos vero conventus dicti monasterii dictas possessiones a jam dicto abbate Domno nostro hospitali praefato collatas de laude & voluntate & assensu expresso nostro profitemur esse collatas. Et hoc recognoscimus per literas praesentes, ad quas sigillum Prioris nostri duximus apponendum. Datum Anno Domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto. Iustis igitur petitionibus eorum, pium praebentes assensum praedictam collationem factam saepedicto hospitali, ipsam cum coeteris bonis quae in praesentiarum rationabiliter possidet, vel possidebit, confirmamus, violatores hujus nostrae confirmationis vinculo anathematis innodantes. Datum Decimo nono Kalendas Februarii anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto.

LXXXIV. a.

HENRICUS ARCHIEP. TREVIR. OMNIA BONA HOSPITALIS S. *ELISABETH* INTRA SEPTA MONASTERIJ S. *MAXIMINI* EXISTENTIS CONFIRMAT. 1279.

In nomine ſanctae & individuae Trinitatis.

H*enricus* Dei gratia Trevirorum Archiepiſcopus omnibus praeſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Cum res geſta mandatur literis, univerſae rei calumnia praeripitur, ne ulla litis occaſio poſtmodum ſucceſſoribus aliquatenus oriatur. Nouerint igitur tam praeſentes quam futuri, quod dilectus in Chriſto filius Magiſter & Proviſor Hoſpitalis beatae *Eliſabeth*, apud S. *Maximinum* extra muros trevirenſes Nobis humiliter ſupplicavit, ut ſicut reverendus Pater & Dnus piae memoriae *Arnoldus* Trevirorum Archiepiſcopus noſter Praedeceſſor bona, poſſeſſiones & redditus ad ipſum Hoſpitale ſpectantes pia liberalitate confirmavit, ſi nos eius veſtigiis adhaerere volentes factum ipſius ratificare ac etiam eiusdem Hoſpitalis bona ſimiliter dignaremur miſericorditer confirmare. Nos itaque attendentes, quod ex officio noſtro tenemur ſingulis locis & perſonis eccleſiaſticis & maxime pauperibus noſtrae Dioeceſis paterna ſolicitudine providere, dicti magiſtri & Proviſoris Hoſpitalis piis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas ac ipſum Hoſpitale cum omnibus bonis, quae in praeſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum

turum

turum justis modis adipisci poterit, sub nostra protectione suscipimus, & eadem bona ad sustentationem pauperum, infirmarum & peregrinorum ibidem recipiendorum totaliter convertenda, ipsi Hospitali praesentibus confirmamus, violatores hujus nostrae confirmationis vinculo anathematis innodantes. Actum & datum duodecimo Kalendas Februarii Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono in festo beatae *Agnetis* virginis.

LXXXV.

STATUTA SYNODI BASILEENSIS, An. MCCXCIX.

Nos Magister *Albertus* de *Friburgo* officialis curie Basil: notum facimus universis, quod Rdus in Christo Pater & Dominus *P.* *) Dei gratia

*) *Petrus*, ut *Browerus ad an. 1289.* notat *Annal. Trever. Tom. 2. p. 171.*, a *Nicolao IV.* PP. Metropolitanae Trevirensis Praeposituram obtinuit, cum esset Medicus *Rudulphi* caesaris. Mortuo *Petro* de *Reichenstein* Antistite Basileensi jussu *Nicolai* IV. successit *Petrus* de *Treveri* Physicus. *Argentinas p. 113.* vid. *Basilea sacra p. 253.* Post obitum *Gerardi* Archipraesulis Moguntini causam *Balduini* pro cathedra Moguntina obtinenda egit *Petrus* apud *Clementem* V. PP. in *Aquitania Pictaviae* tum commorantem an. 1305. verum flectere Pontificis animum non potuit, imbecillam *Balduini* aetatem aestimantis, quae tanto

tia Episcopus Bas. sub anno Domini M. CC-LXXXXVIIII feria secunda post ascensionem Domini synodum celebravit, in qua statuta quaedam à Domino *Bonifacio VIII.* Summo Pontifice edita publicavit, aliqua etiam statuit de novo, quod omnia in presenti pagina de verbo ad verbum sine aliqua diminucione vel addicione integraliter & fideliter conscribi fecimus, que sunt hec.

Ut pacta, observationes obtineant firmitatem statuimus ut pactum cum Rectore alicujus ecclesie factum per religiosos & alios quoscunque, ne ipsi aliquos vel certos ipsius ecclesie parochianos ad sepulturam recipiant, omnino servetur, eciam si ante pactum ipsis paciscentibus sepultura libera indulta fuerit a sede apostolica vel aliunde, nec contra ipsum pactum imposterum eligere valeant aliquo modo sepulturam. Officii nostri debitum exequentes, ut animarum periculo occurratur, statuimus, & sub periculosa canonum comminacione districtius inhibemus, ne quis clericus cujuscun-

oneri ne quaquam ferendo erat. Dum vero *Petrus* in curia moras nectit, evenit, ut Pontifex valetudine laesa, gravioris morbi discrimen adiret, atque ibi, comperto, *Petrum* Episcopum medicae artis laude praestantem esse hominem, extemplo opis ac remedii causa accersiri jubet; qui, cum artis peritia feliciter vim eius morbi omnem profligasset; Pontifex idoneum ratus animi morbis sanandis, qui tam salutarem corporibus manum adponeret, ex Cardinalium voluntate Archiepiscopum instituit, pallioque donatum cum insigni honore *Moguntiacum* misit. *Browerus l. c. p. 183.*

cunque ordinis ſtatus aut condicionis exiſtat, habeat pluralitatem beneficiorum, curam animarum habentium *) ſine diſpenſacióne ſedis apoſtolice ſpeciali.

Item & quod qui habent curam animarum ſub interminacione divine comunicationis ſecundum generale concilium ſe faciant infra annum in ſacerdotem promoveri, & reſidenciam faciant, niſi ex cauſa rationabili ſuper ea per nos cum ipſis fuerit diſpenſatum. Item cum in Lateranenſi concilio vacaturorum beneficiorum conceſſio inhibeatur, expreſſe ſtatuimus receptiones canonicorum, que fiunt & fieri conſueverunt per ordinaciones capitulorum in collegiatis eccleſiis non valere decernentes nullum ſibi ex eisdem quidquam juris vendicare debere. **) Item cum nemo alteri facere debeat, quod ſibi fieri non vult, ſtatuimus & ſub interminacione divine vindicte diſtrictius inhibemus, ne aliqui religioſi aut ſecu-

*) *Joannes XXII. in Extravag. Execrabilis de praebendis in commun*: ſtatuit: quod qui deinceps receperint dignitatem vel perſonatum ſeu officium aut aliud beneficium curam animarum habens annexam, ſi antea ſimile beneficium obtinebant, illud quo ipſo jure privati noſcuntur abſque morae diſpendio in ordinariorum manibus dimittere debeant pari modo: alioquin ex tunc ſint ipſo jure ſecundo privati & nedum ad ſacros ordines ſuſcipiendos ordines, quin etiam ad habendum quodcunque aliud Eccleſiaſticum beneficium inhabiles reputentur.

**) De exſpectativis vid. *Subſid. Diplom. Tom. V. p. 1.* ſq.

lares cujuscunque regule, ſtatus vel condicionis exiſtant per ſe vel per aliquos alios ad movendum vel jurandum vel quocunque alio colore queſito ad promittendum inducant, ut apud eosdem monaſtica vel eccleſiaſtica ſepultura eligatur, vel jam electa non immutetur & ſi ſecus actum fuerit, electionem taliter factam decernimus non valere, & hii, qui ſic elegerunt, nec in electis locis ſepeliri poſſunt, nec alibi eligere ſepulturam, ſed apud illas eccleſias ſepeliantur, apud quas ſepeliendi fuerant, ſi nullam ſepulturam elegiſſent, & ſi idem religioſi vel clerici predictos in ſuis eccleſiis vel cimiteriis preſumpſerint ſepelire ad reſtitutionem tamen ſepultorum corporum, ſi petantur, quod eciam omnium eorum, que occaſione ſepulture talis pervenerint quomodolibet, ad eosdem infra decendium integraliter faciendam illos obligatos eſſe cenſemus, quam niſi fecerint, ipſa monaſteria vel eccleſia, apud quas ſepulta fuerint, nec non & cimiteria eorundem ex tunc eo ipſo tamdiu maneant eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium predictorum. *) Item cum is, qui eligitur ad onus, repelli non debeat a mercede, ſtatuimus, ut ſi quis alibi, ubi majores ſui ſoliti ſunt ſepeliri, elegerit ſepulturam, canonica porcio eccleſie dimiſſe non debeatur, ſed illi duntaxat, in qua ille officia conſuevit audire divina & eccleſiaſtica recipere ſacramenta.

Item

*) In *Cap. 1. de Sepult.* in 6.

Item quia non ſunt transgrediendi termini, quos ſtatuerunt patres antiqui, ſtatuimus, ut minores filii cum ante annos pubertatis ſepulturam ſibi eligere non valeant, in parochiali eccleſia ſepeliantur, nec pater eis eligere ſepulturam valeat, niſi forte hoc concederet terre conſuetudo.

De Decimis.

Item cum Apoſtolus non ſolum a malo, ſed ab omni ſpecie mali precipiat abſtinere, ſtatuimus & diſtrictius inhibemus, ne religioſi vel alii quicunque ad predicandum miſſi in predicationibus ſuis vel alibi aliqua predicent vel proponant, que audientes a decimarum vel aliarum rerum eccleſiis debitarum ſolucione retrahant vel animos corrumpant eorundem, ſed verbo & opere ad ſolucionem predictorum ipſos ſtudeant religioſius informare, (a) nec ſtationes ſeu predicationes Dominicis ſeu feſtivis diebus faciant circa horas miſſarum, in quibus parochias regentes mandata ſeu precepta a nobis vel noſtris ſuperioribus eis iniuncta exequi & publicare debent, nec propter ſubdito-

(a) Imitando *S. Hieronymum in c. 3. Malach.* ubi: Quod de decimis primitiiſque diximus, quae olim dabantur a populo ſacerdotibus ac Levitis, in eccleſiae quoque populis intelligite, quibus praeceptum eſt, non ſolum decimas dare & primitias, ſed & vendere omnia quae habent & dare pauperibus & ſequi Dominum ſalvatorem. Quod ſi facere nolumus, ſaltem judaeorum imitemur exordia, ut pauperibus partem demus ex toto & Sacerdotibus ac Levitis honorem debitum deferamus.

ditorum abſentiam id, quod perinde exequendum fuerat, eludatur. (b)

De Reliquiis & Veneratione Sanctorum.

Item ut divine laudis organa promoveantur & augeantur & viros religioſos laudabiles debite commendemus, ſtatuimus imo potius ſtatutum ſanctiſſimi patris Domini *Bonifacii* Pape publicantes precipimus, & diſtricte injungimus omnibus eccleſiis & monaſteriis noſtre Dioces. religioſos fidei Chriſtiane principes, duodecim apoſtolos *) Reverendiſſimoſque Patres, 4. Evangeliſtas. Item & egregios fidei doctores eccleſie B. *Gregorium* Papam, *Auguſtinum*, *Ambroſium*, venerandos Antiſtites ac *Jeronimum* presbiterum, confeſſores eximios, annis ſingulis perpetuis & futu-

b) Extant etiam quam plurimae ordinationes noviſſimae, idem jubentes. ſic *Synodus Mechlin: tit. 10. c. 5.* nemo in capellis, quae parochiae finibus continentur, concionari aut miſſam celebrare praeſumat ſub poena arbitraria. . . Similiter *Buscoducenſis ſub Maſio Tit. 11. c. 3.* Ne parochiani diebus Dominicis & feſtivis juxta concilii Tridentini declarationem parochiae ſuae intereſſe ad audiendum verbum Dei tenentur, ab illo avocentur, praecipit, ne quis ſacerdos eo tempore in Eccleſia parochiali aut extra eam in capellis ſacrum facere aut concionari praeſumat ſub poena noſtro arbitrio infligenda.

*) *Thomaſſinus tract. de celebratione feſtorum lib. 1. c. 5.* oſtendit, ſerius inſtituta fuiſſe feſta ſingulorum Apoſtolorum, ſed primitus uno communi feſto omnium memoriam fuiſſe celebratam.

futuris. temporibus ſub duplici veneracionis officio ſolenniter celebrari.

De ſententia Excomunicationis.

Item cum Nervus eccleſiaſticus ut magis timeatur, ſi diſtrictius cuſtodiendus, ſtatuimus, ut ſi civitas, caſtrum vel villa eccleſiaſtico ſupponatur interdicto, ſuburbia, & continencia edificia interdicta intelligantur. Item quia qui ſceleſtam vitam ſuſcipiunt, eandem debent ſentire diſciplinam ſtatuimus, ordinamus, & in virtute ſancte obediencie precipimus per preſens, ut interdictum a nobis vel curia noſtra aut alias eciam in quamcunque eccleſiam vel locum noſtre Dioc. promulgatum ipſum interdictum tam a religioſis, quam clericis omnibus noſtre Dioc. ſecundum tenorem ipſius interdicti inviolabiliter obſervetur non obſtantibus quibuscunque privilegiis eccleſiis, monaſteriis, ordinibus, religionibus ſeu perſonis eccleſiaſticis vel non exemptis ſub quavis forma vel expreſſione verborum ab apoſtolica ſede conceſſis, prout in conſtitutionibus Domini Pape *Bonifacii* plenius continetur. Exceptis duntaxat feſtivitatibus Natal. Domini, paſce, pentecoſtes & aſſumptionis virginis glorioſe, in quibus campane pulſentur, & januis apertis divina officia celebrentur, Excommunicatis prorſus excluſis, ſed Interdictis admiſſis quibus ob reverenciam dictarum ſolennitatum prefatis diebus participationem permittimus divinorum, ſic tamen, ut illi propter quorum exceſſum hujusmodi interdictum eſt prolatum, altari nullatenus appropinguent.

De

De Penitenciis.

Item judex cum non possit aliquem vel ligare vel solvere, statuimus, ut nullus nostre dioc. confessorem eligere valeat sine licentia sui superioris non obstante consuetudine, que forte fuerit in contrarium, quam in hoc pocius corruptelam reputamus. Item statuimus & districte precipiendo mandamus, ut omnes clerici nostre Dioc. tam religiosi quam seculares tam ecclesias quam cappellas dotatas, si quas habent, nondum consecratas, ipsi consecrari procurent, usque ad festum Nativitatis Domini proximum venturum. Et similiter si que ecclesia vel cimiteria reconciliatione indigent, ipsa infra idem tempus omnia reconciliari procurent.

De Judicibus.

Cupientes olim discordiam, que inter prelatos & Rectores seu sacerdotes & Clericos parochialium ecclesiarum per diversas mundi provincias constitutos ex parte una, insuper Predicatorum & Minorum ordinum fratres ex altera, super predicationibus fidelium populis faciendis, audiendis eorum confessionibus penitencijs injungendis eisdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui eligebant aut fratrum ipsorum loca vel ecclesias sepulturam, graviter invaluerat. prorsus evellere ac omnimode submovere nullis unquam futuris temporibus suscitandam, quamdam constitucionem super hiis edidimus, in qua ubi & quomodo liceat eisdem fratribus predicare, hujusmodi confessiones audire, penitencias injungere, qualiter

liter eciam ipſi fratres liberam habeant ſepulturam, & de quarta obvencionum *) per eos eisdem parochianis, ſacerdotibus & eccleſiarum Rectoribus ſeu curatis integraliter exhibenda expreſſe & plenarie continetur Verum licet Rectores ſeu curati, presbiteri & Clerici eccleſiarum civitat. & Dioc. gravi nobis queſtione monſtrarunt, fratres ipſi earundem civitatum & Dioc. licet conſtitucionem eandem, in quantum pro eis eſt, velint diſtrictius obſervari, in quantum pro Rectoribus civitatum presbiteris & Clericis antedictis multipliciter illam infringere moliuntur, quartam predictam eis exhibere pro ſue libito voluntatis denegando, predicando in dictis parochiis, eccleſiis, invitis Rectoribus curatis presbiteris & Clericis ſupradictis, & in aliis multis articulis, quos longum eſſet enarrare per ſingulam, contra conſtitucionem eandem in ipſorum Rectorum, Curatorum, presbiterorum & clericorum grave prejudicium veniendo, de diverſis per eosdem fratres ac fraudem faciant conſtitucioni predicte maliciis, cavillationibus & aſtuciis exquiſitis. Nos itaque ipſorum Rectorum Curatorum presbiterorum & Clericorum earundem civitatum & Dioc. ſupplicationibus inclinati attendentes, quod parum eſt, jura

*) De quarta funeraria *conf. Cap. 8. X. de ſepult.* ubi ſtatuitur, ut ſi aliquem parochianorum alibi contigerit eligere ſepulturam, de teſtamento ipſius quarta portio relinquatur ſcilicet Eccleſiæ parochiali. Portio quarta hic determinata apparet exemplo quartæ partis hæreditatis, quæ Matri debetur pro legitima hæreditate filii.

jura concedere, nisi qui ea tueantur, existant, ac volentes constitutionem predictam irrefragabiliter observari, dictisque Rectoribus, curatis, presbiteris & Clericis earundem Dioc. & civitatum de illo providere remedio per quod ipsi nunc & in futurum contra fratres eosdem circa ea, que in dicta continentur constitucione, justicie complementum assequantur; Discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios eisdem Rectoribus, curatis, presbiteris & Clericis civitatum & Dioc. predictarum de illatis eis injuriis & gravaminibus ac subtractis ex quarta predicta contra tenorem dicte constitucionis per eosdem fratres debitam satisfactionem impendi ac exhiberi eis super hiis quoque omnibus constitutionem eandem tangentibus in illis, quæ judicialem requirunt indaginem per viam judicii in aliis, prout qualitas ipsorum exegerit justicie complementum. Ita quando officium potestas & jurisdictio vestra cepta contra aliquos uno negocio quoad omnes & omnia negocia eciam non cepta perpetua inconcusse & integraliter habeantur.

Molestatores & injuriatores hujusmodi nec non contradictores quoslibet & rebelles quemcunque, & quoscunque expedierit per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus constitutionibus tam de duabus dictis in concilio generali, quam in nostris litteris, quarum prima cavetur, ne quis certis exceptis constitucionibus extra suam civitatem & dioc. secun-

da

da vero ne Reus alterius dioc. ultra unam dietam a finibus ejusdem dioc. ad judicium evocetur, & in aliis quibuscunque constitutionibus a nobis vel predecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam circa Iudices delegatos quam conservatores editis que nostre possent in hac parte jurisdictioni ejusque exercicio quomodolibet obviare, dumodo ultra terciam vel quartam dietam auctoritate predicta quis ad judicium non trahatur, seu si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quando excommunicari, suspendi seu interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis indulgenciis, privilegiis & litteris apostolicis, quibuscunque & quacunque forma verborum, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta dictæ jurisdictioni explicato possint quomodolibet impediri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris specialis & expressa mencio sit habenda.

Datum *Laterani* Non. aprilis Pontificatus Domini &c.

De Interdicto.

Ad perpetuam rei memoriam provide attendentes, quamvis non sine causa multorum interdicti sententie proferuntur, quandoque tamen sunt nonnulli Iudices nimis prompti. ad proferendum easdem etiam in negociis sine causa, que plus interdum ex cupiditatis quam caritatis radice perspicuis Indiciis procedere arguantur; Quan-

doque tempore interdicti divina organa suspenduntur, & laudes nec sacramenta ecclesiastica ministrantur, ut solent; tolluntur mortuis seu minuuntur suffragia praesertim per oblationem frequentem hostie salutaris; Adolescentes & parvuli participantes rarius sacramento, minus inflammantur & solidantur in fide, fidelium tepescit devotio, hereses pululant, & multiplicantur pericula animarum. presentis constitutionis providemus edicto, ut nulla provincia, civitas, castrum, villa, locus, territorium vel districtus auctoritate ordinaria vel delegata supponantur ecclesiastico interdicto pro peccuniario debito vel pro cujuscunque monete vel pecunie quantitate sub quacunque occasione vel causà vel quovis consito colore, pro eo maxime, qui ipsorum domini Rectores seu officiales quocunque nomine nuncupentur, aut incole seu habitatores aut singulares personae ipsorum statutorum vel statuendis, ordinatis vel ordinandis terminis hujusmodi debitum seu quantitatem non solverunt hactenus, aut in antea non persolvetur. Nos enim ex nunc decernimus irritum & inane si secus hactenus extitit attemptatum, vel contigerit attemptari, illudque revocamus omnino non obstantibus quibuscunque contractibus obligacionibus, pactis, conventionibus, compositionibus, submissionibus, fide Iussionibus, consensibus, processibus & sentenciis. Super hoc habitis & habendis Iuramentorum, penarum spiritualium seu mulctarum vel quacunque alia firmitate vallat. nisi talis suppositio Interdicti hactenus foret. facta vel in antea fieret de apostolice

lice sedis speciali licentia & expressa per ipsius sedis patentes litteras apparente. Datum *Angaria* in die ascensionis dominice, Pontificatus Domini *Bonifacii* Pape VIII. anno VIII. gravibus & quasi de injuriosis & diversis mundi partibus — novissime autem Rectorum, curatorum & parochialium sacerdotum *Mormen.* civitat. & Dioc. contra fratres predicatorum & minorum ordinum. inquietudinibus & querelis clamosis insinuationibus fatigati exurgere cognoscuntur, & negocio remedium quale clementis mansuetudo principis pro corrigendis excedentibus subditis querit, & pro insontibus emendandis liberis invenit levitas pii patris, non quale severi judicis affert aculeus, & juris rigor expetit, compellimur adhibere de multa patiencia & benignitate, temperantes pietate rigorem, & severitatem misericordia lenientes; ut satem quod absit ubi & sit. ad offensa proximi hujusmodi religiosi non cessaverunt eos juste durioribus arceamus modis, & ipsorum immoderatum affectum moderemur salubriter acrioribus medicinis, sane dudum ultra ea, que de confessionibus & predicationibus duximus ordinanda; justis rationibus moti statuimus, ut iidem fratres in ecclesiis & locis suis omnes ad sepulturam recipere valeant, qui in eisdem ecclesiis atque locis elegerint sepeliri constitucione parochiales ecclesie & ipsorum curati sive Rectores debitis & necessariis beneficiis defraudentur, inter cetera adicientes hujusmodi ut dicti fratres de obventionibus omnibus tam de funeralibus quam quibuscun-

que

que vel quomodocunque relictis indistincte vel distincte ad quoscunque statutos vel determinatos usus nec non datis vel qualitercunque dandis in morte seu mortis articulo aut infirmitate donantis vel dantis de qua decesserint quomodocunque directe vel indirecte fratribus ipsis vel aliis pro eisdem quartam partem parochialibus sacerdotibus ecclesiarum Rectoribus seu curatis largire integre teneantur. Verum licet verba dicte constitutionis & mens ita clara atque lucida noscantur fore, tamen iidem fratres, qui quanto vigore scientia & sanctitate pollere religione & abstinencie angustiis gloriari credantur, tanto humiliores se reddere & innocentes, ne ministerium vituperetur ipsorum, praebere & infra modestie claustra continere deberent, non verentur aperta verba constitutionis eiusdem offendere & occulte mentem eius violare fraudibus & quesitis coloribus obfuscare. hoc habent memorate querele, hoc insinuationes continent supradicte, nam ut de multis referamus pauca, & assumamus brevia de diffusis, memorati fratres de predictis, de quibus quartam solvi volumus eam curatis & Rectoribus. Offendentes verba constitucionis expresse pro voluntatis libito solvere contradicunt, adeo tenaciter ea, que pro ipsis in eadem constitucione sunt posita, observare. Volentes quidem in observacionem eos modo exercere, referatur ad fraudandos, aut quantum in eis est, contra mentem constitucionis predicte dictos curatos hujusmodi quartam. Quandoque morientes inducunt, ut petant & velit cum ipsorum habitu sepeliri non advertentes qui-

quidem, id eos a quarta non exemit, qui ymo ſicut tantum eſt canone, & ſi tales in egritudine, de qua decederent, ad religionem tamen ſciunt de bonis ipſorum eccleſiis, a quibus aſſumuntur, canonica debet porcio exhiberi, alioquin vero volentes, quodque ab hiis, qui decedunt, ſibique apud eos eligunt ſepulturam, legari permittunt ſe ultimarum voluntatum eorum executores dimitti, & aliqua pro eorundem animabus juxta arbitrium executorum ſuorum mandari diſtribui, que poſtmodum fratribus ſuis ſeu conventibus conferunt, & in eorum utilitatem conuertunt, cauſantes indebite hec ipſis fratribus non relicta, & ideo quarta eorum non deberi curatis & Rectoribus ſupradictis, non attendentes quidem. Scriptum eſt uere ab executore teſtamenti datur ab eo tamquam a ſiniſtro recipitur, & ſicut a teſtatore relictum quidem de bonis ſuis taliter ordinavit, habetur falcidie ſubjugatum, hec ex verbis ipſius conſtitucionis gratia poſitis evidenter apparet, nec ſpecificatio illa, que ſequitur, tam tollende dubitationis appoſita obvencionum generalitate innuit, que procedit, quamque eciam ipſi fratres procurant, ut teſtatores ipſi legata, que ipſi eisdem reliquerunt, fratribus illis ſolvant, rogitantes in vanum idem fratribus & ſi teſtatores ex infirmitate hujusmodi ſanarentur, quod ex hoc ad quartam minime teneantur. ignorantes, quod teſtator — legatum ſolvens in vita ſed quando ſolvit videtur ſolvere ut legatum, ideo quod legatarius poſt teſtatoris mortem id non iterum petit, & ſi falcidie locus ſit, eam propterea

 non

non evadit, faciunt insuper dicti fratres, ne eis aliquid in testamento vel alia ultima voluntate relinquatur, sed procurant, quod decedentes mandent executoribus ultimarum voluntatum suarum, ut fratribus ipsis detur aliquid vel permittatur, quando certum est ad evasionem solutionis quarte, hujusmodi non prodesse, quia illud nihilominus, cum palam capere possunt, relicti jure censentur, & valet, & ideo subjacet quarte, quorum fidei commissum tacitum non capaci dimissum falcidie subjacet rationi, sepe, etiam ut relictorum sibi effugiant canonicam e solvere rationem decedentibus ostendentes se tantum de lacte lanaque curare sugerunt, ut alibi non apud se eligant sepulturam, quod ut omittamus non levis opinionis Doctores quartam dixerunt deberi curatis de relictis omnibus a parochianis propriis, eciam si fuerint apud eos sepulti, Nam ex praeterito & ex defunctorum qualitate personarum & relictorum eis quantitate in fraudem fieri presumimus, cum in preterito anno constitucionem hujusmodi privilegiati in quarta sepulturas & maxime diciorum apud se totis viribus procurarent, ex hiis enim jura quandoque fraudem presumunt, & aliquando faciunt conjecturas pluries, eciam agunt. quando delinquatur eorum alicui ad dispensandum aliquid, prout eidem videbitur, sive fuerit arbitratus, quod tale relictum ipsis fratribus largiatur, non tamen ad quarte prestacionem hujus, ad quam tenentur, ut supra in simili monstratum est, existimant se teneri, Preterea sibi relicta, ex quibus quarta deberet

beret curatis integraliter ab heredibus defunctorum recipiunt dicentes ex verbis constitutionis prefate curatos sacerdotes de suis manibus quartam debere recipere memoratam, non recte inspiciunt, quod sit falcidia in hereditate, si hujusmodi quarta In Curatorum sacerdotum est bonis & idcirco eam vindicare possunt ipsi curati & inhibere mortuorum heredibus, ut hijs, qui fidei comisso relicto fratribus sunt gravati, ne eisdem fratribus illam solvant, presertim cum probabiliter ipsos fratres possint habere suspectos, ne sibi solvant eandem, Ad hoc reliquunt multociens aliquid testatores, illis dant in infirmitate, mandant dare post mortem alicui dictorum fratrum in aliquas commoditates ipsius puta emendorum librorum, sive rerum aliarum vel vestium, de quo sepedicte quarte solutio denegatur, que non solum non denegaretur ab eis, si recte cognosceretur, quod hec fratribus ipsis sic per Monachum mendicum, per servum Domino & patri per filium quasi unum fit quando vel si legetur servo, inspiciat, quod sibi legatur, persona domini, aut cum ea sit intentio testamenti, & possint fidei comisso communiori jmmo velut dein directe ipsis relicto dato vel dari mandato sine querela ut liquet eciam ex verbis constitucionis predictae necessario solveretur. Hec religioni sancte congruunt, haec sunt ab officio caritatis extranea, haec professioni fratrum contraria dinoscuntur, nam vicinum monstro videtur, ut qui sponte renunciaverunt, propriis habere concupiscant & appetant aliena

 ex

ex hiis & aliis ſeculari clerico, qui patrimoniali munera, ut ita loquamur, in eccleſiis ſubeunt quouſque velnt antiquiores & illos a quibus Locorum ſuorum inicia & augmenta ſumſerunt, non modicum honorare debentur opum, ſi infeſti retribucionem eorum, quam fugienda ingratitudo retribuit impendentes ſatagunt quidem unico homine unaque ovicula eosdem privare curatos recuſantes perpendere, quod de magna gratia ſedis apoſtoſtolice de parochiali jure curatorum ipſorum habent ipſi fratres ſepulturam quanta in hiis religioſorum ipſorum integritas, quanta ſinceritas dilectionis verſetur cognoſcunt, qui diligentiſſime accedunt & ſenciunt, qui cercius intuentur, Nos igitur, qui diucius eos exſpectare volumus, ut experiamur in eis, utrum ſponte facerent, ad que poſſent inviti compelli, non valentes iſta tolerare. & volentes dictam conſtitucionem noſtram in omnibus ſuis partibus irrefragabiliter obſervari, & attendentes quam parum eſt jura concedere niſi ſit, qui eadem tueatur quandoque ad nos precipue pertinet obviare fraudibus, & compeſcere contemptores. de tempore mandamus quatenus per te vel alium ſeu alios eciam in non notoriis & non manifeſtis precedens dictis Rectoribus curatis ſive parochialibus ſacerdotibus civitatis Dioceſis *Mormen.* preſidio defenſionis efficacis aſſiſtas eoſque adverſus predicta & alia tuearis, ipſoſque non permittens contra conſtitutionem ipſam ab aliquibus moleſtari, eosque fratres ad ſatisfaciendum de ſubtractis & impoſterum ipſos vel alios ad obſervanciam totalis conſtitu-

ſtitucionis prefate per cenſuram eccleſiaſticam au-
ctoritate noſtra appellatione remota compellas,
non obſtantibus tam noſtris ſuper vocationem ad
judicium, quam de duabus dictis in generali &
quibuslibet aliis ſuper hac ſive ſuper conſervato-
ribus in Lug. concilio & a vobis conſtitucionibus
editis, aut ſi eisdem fratribus ſeu ipſorum ordini-
bus aut aliquibus aliis ab eadem ſede indultum
exiſtat, quo interdici ſuſpendi vel excommunica-
ri non poſſint, aut extra certa loca ad judicium
evocari per litteras Apoſtolicas non facientes ple-
nam expreſſam ac de verbo ad verbum, de indulto
hujusmodi & ipſorum ordinibus mencionem ſive
quibuslibet aliis prefate ſedis indulgenciis, privi-
legiis & litteris generalibus, quocunque tenore
exiſtant, per que preſentibus non expreſſa vel to-
taliter non infra effectus earum impedire valeant
quomodo libet vel deferri. Datum *Rome* Id. De-
cemb. Pontificatus noſtri anno VIII.

LXXXVI.

PROCESSUS ET SENTENTIA IN CAUSA CLERICI IMMANITER OCCISI.

In Nomine Domini Amen. Officialis Curie Baſ.
Judex a Reverendo in chriſto Patre ac Domi-
no *Petro*, Dei gratia Baſ. Epiſcopo ſpecialiter
Deputatus, in cauſa cedis bone memorie Domini
Lenzelini ſacerdotis de *Ongersheim* anno Domini

 MCCXCVI.

MCCXCVI. Sabbato proximo post ascensionem ejusdem continuata a proxima feria tercia precedenti assignata per nos Universitati ville de *Ongersheim* ad comparendum coram nobis per se vel per suum subditum sufficientem & ad audiendum processum & penam juris & ejus excomunicationem, que in dictam eam facere & judicere intendimus dicta universitate dicto sabbato non comparente, nec eciam a *johanne* villico de *Ongersheim* Interfectore dicti sacerdotis priori termino propter ipsius absenciam contumace reputato, Nos ipsam universitatem, quamquam dicta feria tercia & crastino ejusdem quidam asserens se sindicum dicte universitatis comparuit, & nostras contumaciones exspectare nolens quamdam appellationem nomine universitatis interposuit, cui appellationi tamquam frivole non duximus deferendum. quia clamor validus dicti stupendi Sceleris DiocesinBasil. & maxime loca dicte ville *Ongersheim* viciniora publice commovit, & tandem per solemnem denunciacionem discretorum virorum Decani ultra *Ottenspüel* camerarii ejusdem Decanatus & fratrum eorundem in plena synodo proxime celebrata Predictum R. *P.* & Dominum Episcopum Basil. omnesque per Diocesin religiosos & ecclesiasticos prelatos totamque cleri universitatem in ipsa synodo congregatam adeo notorie conturbavit, ut sine gravi scandalo populi clerique magno prejudicio & eterni judicis ultione, tam exhorrendi homicidii attrocitas absque debito & justo contra hujusmodi cedis auctores a sanctis constitutioni-

bus

bus instituto preteriri non posset, & nos predictus officialis, cum ad indagacionem dicte cause tamquam in negotio notorio descendentes nimirum ordine in notoriis debito diligentissime observato clamore, qui usque ad dictam synodum, & qui ei presiderant, pervenerat, invenerimus opere ad impletum, cum ad puniendos subditorum excessus tanto diligencius debeat prelatus assurgere, quanto dampnabilius eorum offensas deserit incorrectas, invocato Dei nomine predictum *Johannem* villicum propter suas iniquitates in necem dicti innocentis sacerdotis sine causa qualibet nequiter concitatum in quingentis aureis sentencialiter condempnamus per predictum Dominum nostrum Episcopum vel per nos in remedium anime occisi utiliter convertendis secundum sacrorum canonum constituciones penas sacerdotum occisoribus debitas infligentes. Item predictum villicum & malefactorem ostendimus, denunciamus officio suo, in quo deliquit, privatum, & nihilominus sinuando ipsum privamus quolibet officio procurationis seu sindicatus, ne aliquid predictorum officiorum vel similium imposterum, de facto cum id de jure non gerere vel assumere possit vel ab eadem vel aliquo vel aliquibus possit eligi vel assumi cassantes vel irritantes, si quid per eundem in aliquo officiorum imposterum fuerit administratum; cum idem insignis homicida suis punctis adeo ex cruenta manuum injectione in Clericum ligatus ipso jure a quolibet actu legitimo sit exclusus, & ne minus vindicte quam excessus memoria prorogetur, non solum ipsum malefacto-

rem-

rem in predictis condempnamus sed eciam usque ad quartam generacionem posteritates ejus in clericorum collegio nullatenus assumantur, nec in domibus regularibus alicujus proclamationis assequantur honorem, nisi cum eis misericorditer fuerit dispensatum, salvis omnibus aliis penis publice punire infligendis cum ille miser sacrilegus ad gremium sancte Matris ecclesie tandem forsan contritus humiliter revertendus. Item non obstante predicta appellacione interposita, quam ut premissum est, frivolam reputamus, quia universitas ipsius villae *Oengersheim* mortis dicti sacerdotis immunis non est, ymo rea & culpabilis reperitur, cum ex eo, quo dicta universitas prebendam ipsi sacerdoti deputatam ad officium prioris misse secundum ordinacionem inter ipsum sacerdotem & dictam universitatem per nos alias factam, ut in litteris hoc confectis, plenius continetur, ut debuit non solvit nec dedit idem sacerdos, quare jus suum per justitiam curie Basil. licite defendebat praedicti sacerdotis execrabilis & horrenda mors extitit, subsecuta, ipsam universitatem in eo, circa quod deliquit, punire necessarie habentes officio proxime inisse, quando idem sacerdos, dum viverat exolvebat in perpetuum privamus, inhibentes dicte universitati & singulis de universitate predicta sub pena excomunicationis, quam in hiis scriptis ferimus in rebelles, ne de cetero dictum officium recolligat, nec eius nomine vel pretextu deinceps aliquas contribuciones, exactiones, penarum soluciones, legata, elemosinas vel

vel quocunque alio nomine censeri possint, ordinet vel instituat inter se vel aliunde, nec aliquos procuratores vel administratores, vel actores vel collectores ad predicta colligenda, servanda vel distribuenda constituat, vel bursam generalem vel archam ad servanda predicta, ymo omnia, quae ipsa universitas adhuc oeconomice dicti officii congregata habet, vel eciam comparata sub pena excommunicationis, quam presentibus in ipsam universitatem ferimus, si non fecerit, quod mandamus, Domino meo Episcopo predicto vel nobis infra mensem a tempore publicationis presencium integraliter representent & tradant, in remedium anime dicti sacerdotis, & eorum, qui ea retulerant, utiliter convertenda, cum laicis disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit attributa potestas. Item precipimus altare sancte *Marie de ongersheim*, ad cujus prebendam dictus sacerdos erat ordinatus, & quod dum vixit. officiabat, statimque post presencium publicacionem omnibus paramentis, ymaginibus & reliquis ornamentis nudari & disuestiri in signum tristitie & lugubris memorie mortis sui proprii ministri, & ita denudatum teneri, donec de ipsius altaris extractione & ruptura predictus Dominus noster Episcopus aliter duxerit ordinandum. Item & quia ut premissum est dicta universitas. a premisso reatu non est immunis, cum non videatur carere scrupulo societas oculte que manifeste facinoris juxta se commisso obviare desiit propter eiusdem plebis maliciam ecclesiam in *ongersheim* & ipsam villam ecclesiastico supponimus in his

scrip-

ſcriptis interdicto, ita videlicet, ut uſque ad condignam ſatisfactionem de predicto reatu ſecundum arbitrium Domini noſtri Epiſcopi moderandum divinum officium & eccleſiaſtica ſacramenta preter baptiſſma parvulorum & decedentium & penitencias & viaticum, quae in quolibet interdicto ſunt excepta recipere decenter valeant & debeant a ſacerdote celebrante in *Morswilr*, cui preſentibus ad preſtandum dicte univerſitati predicta, per indulgenciam concedimus poteſtatem, niſi aliqui vel omnes de dicta univerſitate non ſervatis predictis, ſentencias excommunicationis inciderint, prenotatas. Dignum eſt enim, ut qui ad diminucionem divinorum officiorum inflammaverant, in receptione eorundem cum diſpendio procellantur. Quam noſtram ſentenciam publicari volumus cum effectu per vos Domine de *Norgaſſen* ſcolaſtice, Domine *R.* de *Schweinbein* canonice eccleſie columbarienſis, Decane & Cammerarie Archidiacon. ultra *Ottenſpübel* incurate in *Minnwilr* & incurate ſeu vicarie in *Morswilr*, nec non incurate in *Ongersheim* mandamus vobis in virtute ſancte obediencie ſub pena excommunicationis, quam in vos & in quemlibet veſtrum monicione trium dierum pro trina monicione peremtorie premiſſa, ſi non feceritis, quod mandamus, ferimus per preſentes, diſtricte precipiendo, Qualiter ſinguli & univerſi poſt receptionem preſentium amoto dolo quolibet ſive mora certo per nos deputato ad locum *ongersbein* perſonaliter accedentes dictam ſentenciam in eccleſia ibidem per ſingulos articulos preſente populo publicetis & ipſam

ipſam ibidem per incuratum regulare obſervari faciatis, Et nihilominus cuno R. *P.* & Dominus noſter predictus in ſynodo publica loca, ubi Idem *Johannes* villicus moram traxerit, & poſt ipſius receſſum per triduum, ceſſari penitus a Divinis Mandamus in virtute ſancte obediencie diſtricte precipientes interdicti ſentenciam ibidem per ſingulas Parochias dicti archidiaconatus obſervari regulariter, ac ipſum occiſorem, qui ex dicta occiſione canonem late ſentencie incidit, faciatis tamquam excommunicatum ab omnibus arcius evitari, ac vos in eccleſiis veſtris publicetis, & per confratres veſtros ſingulos & univerſos quociescunque nos vel ipſios divina celebrare contigerit, excommunicatum denunciari precipiatis ſingulis diebus Dominicis & feſtivis publice in cancellis eccleſie. Quam quidem ſentenciam & proceſſum per totam Dyoceſin Bas. Anno & predicto die. reddite litteras ſigillatas in ſignum mandati executi alter alterum in execucione mandati non exſpectans ſub pena predicta.

LXXXVII.

MANDATUM CONTRA CLERICOS *BASILEAE* ARMA PORTANTES.

Petrus Dei gratia Bas. Epiſcopus dilectis in Chriſto prepoſito S. *Leonhardi* Theſaurario S. *Petri* & vicariis ſive Incuratis S. *Martini* S. *Albani* & S. *Ulrici* Bas. ſalutem in Domino. cum ut vita

ta clericorum ſub laudabili & debita honeſtate conſervetur, ſacri canones diverſis informacionibus uſi intra alia ſtatuerint, ut clerici arma portantes excommunicarentur, Nos dictorum canonum ſtatuta noſtra executione adjuvantes, de conſilio capituli noſtri Baſil. precipimus, mandamus, & in virtute ſancte obediencie diſtricte injungimus per preſentes omnibus clericis civitatis noſtre Bas. & qui de Dyoceſi noſtra ad ipſam civitatem venerint, ne in ipſa civitate & ejus ſuburbiis ac continentibus ediffciis arma deferant publice vel occulte. alioquin ipſos & quemlibet ipſorum, qui contra hoc fecerit poſt publicationem premiſſorum monicione trium dierum premiſſa ex nunc ut ex tunc in hiis ſcriptis excommunicamus. item ut res majorem conſequantur effectum & inſolencie rebellium ſtudioſius preveniantur, dedimus & damus per preſentes Magiſtro civium. & Magiſtro ſocietatum dicte civitatis noſtre, & illis, quos iidem ſibi adjutores aſſumpſerint poteſtatem, ut ipſi vel quilibet predictorum vice & nomine noſtro retinere poſſint & capere clericos, quos in manifeſtis maleficiis & injuriis maxime flagrantibus negociis invenerint perpetratores, dummodo predicte detenciones non in turribus nec inhoneſtis locis conſervandi ipſos, aliquam habeant poteſtatem. & hos noſtros proceſſus. ſecundum ſui tenorem in eccleſiis coram ſubditis publicetis.

Datum *Bas.* Anno Domini M. CCC. V. ſabbato proximo ante Dominicam letare.

LXXXVIII.

LXXXVIII.

HAEC SUBSCRIPTA STATUTA R. P. DOMINUS *JOHANNES* DE *FLECKENSTEIN* EPISCOPUS BAS. PREDECESSORUM STATUTIS ADDIDIT, IN SECUNDA SUA SYNODO, PER IPSUM CELEBRATA FERIA QUARTA POST *MATTHIAE* ANNO DOMINI M. CCCC. XXXIIII.

Vigente Concilio Generali Basiliensi.

Ad laudem omnipotentis Dei, Gloriosissime ipsius virginis *Marie* patrone meae, ac totius celestis curie, nec non ad profectum & ad salutem subditorum nostrorum. Nos *Johannes* de *Fleckenstein* Episcopus Bas. statuta & ordinaciones subscriptas aliis nostris statutis synodalibus per quondam Dominum *Johannem* Antecessorem nostrum factis addenda decrevimus, quas eciam inviolabiliter ab omnibus nobis subjectis precipimus observari dicta statuta ejusdem Domini *Johannis* in omnibus & per omnia approbando. In primis enim volumus, & sub interminacione divini judicii omnibus utriusque sexus hominibus precipimus, ut dies festivos a vespere vigilie hujusmodi festi per anni circulum occurrentes, in hac nostra diocesi. festivari consuetos cum summa veneracione. festivent, ab omnibus operibus servilibus tam publicis, quam privatis prorsus abstinendo sacerdotibus autem & Incuratis sub precepto obediencie injungimus, ut subditos suos ad premissa hortentur singulis diebus festivis, &

transgressores vicario aut officiali nostro provoniendo indicent.

Item precipimus decanis atque camerariis, ut in suis Decanatibus diligenter inquirant, siqui Clerici bona Ecclesiarum seu beneficiorum immobilia vel mobilia preciosa recipiebantur. distraxisse seu alienasse ut hujusmodi clericos sub pena juramenti nobis prestiti Nobis aut vicario aut officiali nostris illic referant, ut dilapidacionibus dictis mature consulere valeamus, omnibus predictis clericis & sacerdotibus sub excommunicacionis pena inhibentes, ne quidquam de bonis immobilibus seu mobilibus preciosis hujusmodi ecclesiarum suarum alienare presumant preter nostram seu vicarii nostri licenciam specialem. Cum singuli sacerdotes nostre Dioecesis auctoritate nostra institui debeant ac destitui, mandamus sub pena suspensionis & perceptionis fructuum omnibus nostre Dioecesis sacerdotibus, ut nullum administrandum divina, curamque animarum regendum, aut eciam quodcunque beneficium in officiandum seu eciam verbum Dei seminandum admittant, in suis ecclesiis, nisi manifeste appareat illum nostra auctoritate fore suffultum, & per Nos vicarium aut officialem nostrum fuisse admissum & approbatum, de quo teneatur Decanum vel cammerarium illius Decanatus nostris litteris informare. volentes nihilominnus hujusmodi se ingerentem excommunicacionis sentenciam incurrere ipso facto.

Item

Item inhibemus ſub excommunicacionis pena diſtrictius omnibus Prelatis, Rectoribus, Plebanis Incuratis noſtrarum civitatum & Dioc. ut quoſcunque queſtores elemoſinarum eciam cum litteris Apoſtolicis nullatenus in ſuis eccleſiis ad petendum elemoſinas admittant, niſi primo per nos fuerint dicti queſtores & eorum litere viſi & admiſi, & tunc ad eosdem predicandum in cancellis ſeu ad aliquid aliud, quod ad exequendum duntaxat tenorem ſuarum litterarum & Indulgencias ſibi conceſſas inſinuandum admittere nequaquam preſumant juxta ſtatutum concilii viennenſis. ſiqui vero fuerint transgreſſores premiſſorum penarum exaggeracione eosdem caſtigare non omittemus, taliter ut ceteris cedat in exemplum.

Item ſtatuimus & ſtatutum eſſe declaramus, quod tempore interdicti nullus in cimiterio vel eccleſia ſepeliatur, niſi clericus ſervans interdictum, ſi non dederit cauſam interdicto, & ſi per ſecularem poteſtatem quis ſepultus fuerit, exhumetur, ſi commode exhumari poterit, nec relaxetur interdictum, niſi prius exhumatus fuerit, & eccleſia interdicta reddita inde penis. Item volumus, quod excommunicati ſe temere ingerentes divinis eccleſias ingrediendo, vel in cimiterio ſtando ita in vicinia, quod divina audire valeant, tanquam contemptores eccleſiaſticarum cenſurarum. difficilius admittantur, ſi petierint abſolucionem, & alias eisdem pena gravior eciam temporalis injungatur, quos tamen ſacerdotes de ſuis eccleſiis omnino ſtudeant eicere nec in preſencia eorundem aliquatenus divina

celeb-

celebrent, si Irregularitatis voluerint evitare notam.

Item precipimus eciam quod nullus sacerdotum vel subditorum nostre Dioecesis domos seu habitationes aliis publice usuras exercentibus quomodolibet locet, qui vero contrarium fecerit, si singularis persona fuerit excommunicacionis, si autem collegium vel universitas Interdicti sentenciam ipso facto se noverit incursurum. Quod eciam extendi volumus ad judeorum nutrices & servientes eisdem nec non participacionem in usura cum Iudeis habentes. Item antiquum statutum renovari mandamus, quod sacerdotes nostre Dioecesis moneant singulis diebus festivis, ut judices testes executores & quoslibet alios publicum officium exercentes denuncient actus publicos sibi competentes. utiliter perficere non posse, dum sentencia excommunicacionis fuerint innodati.

Quandoque iidem judices nullum publice excommunicatum ad agendum vel procurandum coram eis quomodolibet admittant, sed eosdem judices repellant, alias sentenciam excommunicacionis minoris ipso facto incurrant. Item districtius inhibitum antiquo statuto esse declaramus, ne Religiosi vel alii quicumque ad predicandum missi in predicacionibus suis homines a solucione decimarum & aliarum laudabilium consuetudinum ecclesiarum quacunque occasione, retrahant, quin jmo ipsos ad solucionem predictam studiosius exhortentur, nec stationes nec predicaciones Dominicis & festivis diebus faciant inter

missa-

missarum solennia, quibus populus suis ecclesiis parochialibus interesse debet sub pena excommunicacionis, quam hujusmodi predicantes ipso facto incurrere volumus, vestigiis quondam *Ottonis* predecessoris nostri inherentes mandamus in virtute sancte obediencie omnibus utriusque sexus hominibus civitatis & Dioecesis, ne quisquam eorum ab alio, quam a proprio sacerdote suo sine nostro aut vicarii nostri vel ejus sacerdotis ecclesiastica recipiat sacramenta vel aliquid eorundem casu inevitabilis necessitatis duntaxat excepto. Item ut quelibet Ecclesia per suos subditos devota congregacione colatur, precipimus, ut quilibet subditus Ecclesiam suam parochialem frequenter in Divinis officiis visitet, & eisdem ibidem summa veneracione intersit Dominicis saltim diebus & festivis, concedendo cuilibet sacerdoti incurato auctoritatem compellendi per sentenciam excomunicacionis in genere vel in specie suos subditos ad observacionem debitam premissorum.

Item precipimus sub pena excomunicacionis ac interminacione Divini judicii omnibus abbatibus, prepositis, Prioribus, Decanis, ceterisque Prelatis religionum nostre Diocesis, ut cum ipsi vigiles Dei super gregem sibi commissum teneantur sibi subjectos in regulari observancia aliisque religionum statutis & ordinacionibus diligenter instruant, easque ad observanciam eorundem & potissime trium substantialium ordine paupertatis seu castitatis & obediencie inducendo, taliter qualiter se in praesendo eisdem habeant, ut hu-

 jus-

jusmodi subditi eorum exemplo permoti ad meliora invitentur. Item prohibemus universis tam ecclesie nostre Bas. ac aliarum collegiatarum ecclesiarum plebanis & capellanis, quam eciam Monachis & canonicis regularibus monasteriorum nostre Diocesis, ne ullas contra superiores suos aut se invicem iniant colligacionem, confederacionem seu conspiracionem absque suorum superiorum licencia taliter factas fore nullas & illicitas hujusmodi conspiratores, si religiosi fuerint perpetuo, voce capituli fore privatos, & in arcto carcere penitenciam agere debere, si clerici beneficiati suis beneficiis & officiis debere spoliari imperpetuum absque quacunque spe restitucionis. Item strictissime inhibemus, ne clerici seu sacerdotes quicunque nostre Diocesis ludos alearum aut Taxillorum inordinatos seu indecentes vel turpia lucra & inhonesta mercimonia presumat exercere, vel tabernas intrare, nisi necessitatis causa vel in itinere constituti, coreis eciam & publicis spectaculis non intersint, vestes quoque longas & honestas deferant, quales canones admittunt, & coronam & tonsuram habeant congruentem ornatui crinum non intendant, sed comam & crines deferant clericali ordine condecentes, alioquin eosdem ad premissa per subtractionem officii & beneficii compellemus. Item statutum esse declaramus contra notorios usurarios, quod ecclesiastica debeant carere sepultura, ipsorum heredibus nihilominus ad restituendum usuras compellendi, si quis vero tales sepelire presumpserit, beneficio,

si

ſi quod habeat, privetur, nec hujusmodi uſurarii in egritudinis lecto conſtituti abſolvantur, niſi primo per ipſos aut eorum heredes de uſuris receptis fuerit ſatis factum. Mandamus omnibus incuratis noſtre Dioec. ut ſingulis diebus Dominicis & feſtivis auctoritate noſtra hujusmodi uſurarios notorios excomunicent, quos & Nos hoc noſtro ſtatuto excomunicamus, ſicque excomunicatos ſuis ſubditis denuncient. Item prohibemus ſub excomunicacionis pena, ne in locis ſacratis, videlicet eccleſiis, capellis vel cimiteriis earundem taberne ſeu mercature quarumlibet rerum eciam in dedicacionibus locorum ſacrorum habeantur, nec eciam haberi quomodolibet ab ipſis incuratis permittantur. ut eciam tempus celebrandarum nuptiarum a ſacris canonibus definitum ſingulos noſtre Dioeceſis latere nequeat, declaramus, & firmiter ſtatuendum ſtatuimus, quomodolibet quolibet tempore matrimonia contrahi valeant per verba legitime de preſenti contracta, in facie eccleſie temporibus ſubſcriptis ſolennitanda ob ipſius temporis reverenciam minime exiſtunt. Et ſunt hec tempora a ſeptuageſima uſque ad octavas paſce, & a diebus rogacionum uſque ad Dominicam poſt feſtum Pentecoſtes, & deinde ab adventu Domini uſque ad octavas Epiphanye incluſive, quibus diebus matrimonia eciam legitime contracta in facie eccleſie ſolenniſari ſtrictiſſime inhibemus. Item deteſtabilem illam conſuetudinem, que in noſtra Dioeceſi dicitur inoleviſſe, quod in cena Domini oleo conſecrato tam infirmorum quam puerorum laici ad portandum hujusmodi ſalutife-

 rum

rum sacrorum ad parochias singulas, per Recto-
res & incuratos ecclesiarum mittuntur reprobantes in virtute sancte obediencie districtius inhibemus, ne id de cetero fiat, statuendum quod Decanus & camerarii cujuslibet capituli nostre Dioecesis sacerdotem honestum & discretum annis singulis ad hoc ordinent, die predicto, qui ad hanc civitatem veniens dictum sacramentum humiliter & devote requiret, & cum debita veneracione deportet, ipsum postea in Decanatum ipsius cum adjutorio Decani & camerarii, quos in hoc oneratos esse volumus per singulas parochias distribuendo. Quando si secus deinceps factum fuerit, tam distribuentem quam recipientem propter jrreverenciam ipsi sacramento exhibitam pena coudigna emendare procul dubio curabimus. Mandamus eciam sub pena excomunicacionis late jam sentencie tam custodi quam subcustodi nostre ecclesie Bas. & aliis quibuscunque, ne occasione distribucionum dictorum sacramentorum pretextu cujuscunque consuetudinis, que potius corruptela est censenda, quidque ipsi ac etiam Decani & Camerarii predicti extorquere presumant, Quia propter continuum Divini officii exercitium sacerdotibus absque intermissione necessarium est penitencie sacramentum, & cum sacerdotes nostre Dioeces. Bas. per licenciam eligendi confessorem ad superiorem suum videlicet Nos aut nostrum vicarium quociens opportunitas imminet propter diversa pericula commode recurrere nequeunt, nec aliqua consuetudine introduci possit. Quando quisque propter superioris sui licenciam confesso-

rem

rem ſibi eligere valeat, qui ipſum abſolvere vel ligare poſſit, idcirco ſaluti animarum dictorum ſacerdotum nobis ſubjectorum conſulere volentes Nos *Johannes* Epiſcopus predictus de gracia ſpeciali per tempus regiminis noſtri indulgemus omnidus & ſingulis ſacerdotibus ſecularibus cujuscunbus ſtatus vel preeminencie fuerint, & quilibet eorum tociens quociens voluerit confeſſorem ydoneum eligere poſſit, qui ipſum abſolvere poſſit, & ſibi penitenciam ſalutarem injungere valeat, caſibus duntaxat Epiſcopalibus & Nobis reſervatis, atque papalibus exceptis. dum deſiderium noſtrum circa augmentum divini cultus potiſſimum verſatur, idcirco illum promovere volentes, ſtatuimus, ut primiſſarii, capellani ſeu prebendarii eccleſiarum ſuis Rectoribus ſive Plebanis & incuratis reverenciam tanquam ſuis ſuperioribus debitam exequantur, ſeu exhibeant, ac Miſſis & Veſperis, completoriisque atque matutinis in feſtis novem lectionum diligenter inter ſint, Ipſos plebanos ſive Incuratos in divinis officiis reverenter coadjuvando, & eisdem concelebrando, ita tamen, ut in diebus Dominicis & ſummis quatuor feſtivitatibus miſſe publice non dicantur ſeu legantur, niſi illud ex aliqua juſta cauſa & de conſenſu dictorum Rectorum, plebanorum ſive Incuratorum procedat ſub pena ſuſpenſionis fructuum, beneficiorum ſuorum a perceptione nec non quatuor denariorum monete Baſ. pro qualibet dictarum horarum neglecta, convertendorum in utilitatem ipſius Eccleſie & fabrice ejusdem, ad quorum ſolucionem ipſos per

 vica-

vicarinm vel officialem noſtrum denunciacionem ipſorum Rectorum Plebanorum & incuratorum compelli volumus & conſtringi. ſtatuimus inſuper ut ſive oblacio ſive receptio alicujus ad officium ſacriſte ad clericos aut laicos ſpectet, que gratis & ſive alicujus rei temporalis dacione & permiſſione perſone ydonee in ſingulis parochijs & eccleſiis noſtre Dioec. conferatur, que valeat & poſſit hujusmodi officium debite adimplere, & ydoneam caucionem preſtare habeat fideliter ſerviendo eccleſie & Divino officio atque ornatu eorundem conſervando, quo eciam perſona tempore divinorum utatur ſuperpellicio juxta ordinaciones ſacrorum. canonum ac ipſi Plebano ſeu Incurato citra divinum officium in omnibus, & per omnia obediat. cum nonnunquam ex eo, quod calices & alie res divino cultui deputate inter Iudeos obligantur, nephandiſſima per ipſos inimicos fidei committantur, in non modicam religionis contumeliam, unde volentes hujusmodi abuſum obviare ſub pena excommunicationis inhibemus omnibus nobis ſubjectis tam clericis quam laicis, ne de cetero res hujusmodi ſacratas ex quacunque eciam cauſa obligare preſumant, ipſi Iudeis vel eciam obligacionibus talibus conſentire alioquin contrafacientes majoris excommunicacionis ſentenciam, quam in hiis ſcriptis ferimus, incurrere volumus ipſo facto, & nihilominus obligacionis contractum decernimus non valere. Cum in plerisque Eccleſiis noſtre Dioeceſ. Laici de ſe fabrice eccleſie & obventionibus ejusdem preter & contra voluntatem ſacerdotum in eisdem beneficiatorum ſe intromittere

mittere consueverint, unde sepius bona fabrice pro divino cultu deputata minus juste dispensantur, cupientes talem consuetudinem penitus abolere, statuimus & in virtute sancte obediencie mandamus; nec non & sub excomunicacionis sentencia jam lata precipimus, ut deinceps ulli Laicorum ad officium procuratoris fabrice quarumcunque ecclesiarum admittantur, seu eciam recipiantur, nisi hoc eciam procedat de consensu prelati seu sacerdotis in eadem ecclesia beneficiati. Qui eciam procuratores semel in anno de omnibus & singulis receptis & expositis nomine ipsius fabrice hujusmodi prelato aut sacerdoti ac communicati loci vel deputatis ab eisdem fidelem teneantur sub pena predicta reddere rationem.

Item sub pena excomunicacionis prohibemus, ne quisquam Rector seu eciam vices Rectorum gerencium vicarium perpetuum in ecclesia sua institutum & investitum sive sufficienti vel legitima causa, & absque nostra vel vicarii seu officialis licencia removeatur ad eadem, & si aliter actum fuerit, id irritum decrevimus, & pariformiter statuimus, ne vicarius sine legitima causa vicariam hujusmodi seu ecclesiam, ad quam institutus est, deserat vel dimittat, Eos qui timore proposito clericos, seu personas ecclesiasticas occidunt, vulnerant, mutilant, proscribunt, capiunt aut captos detinere presumunt, sentenciam excomunicacionis latam a canone incidendo adjectione arcioris pene cohercere cupientes. statuimus, quod prelati, Rectores atque Incurati ecclesiarum singulis diebus Dominicis & festis, post-

poſtquam ipſi legitime conſtiterit, hujusmodi perſonas eccleſiaſticas in ſuis parochiis fore occiſas, mutilatas, vulneratas, captas ſeu proſcriptas, ipſos occidentes, vulnerantes mutilantes, proſcribentes vel capientes excommunicatos denuncient publice, quos eciam per preſens noſtrum ſtatutum excommunicatos denunciamus, & niſi hujusmodi malefactores, poſtquam requiſiti fuerint, a locis illis, in quibus ſunt, receſſerint, vel captivos predictos relaxaverint infra octo dies a tempore inquiſitionis hujusmodi computandos extunc quam diu ipſi prelati Rectores & Incurati ac alii clerici quicunque in hujusmodi locis, ubi tales malefactores moram trahunt, vel clerici ipſi captivi tenentur, beneficiati exiſtunt, a divinis ceſſant quamdiu in locis ipſis hujusmodi foreſtatores morati vel eciam perſone eccleſiaſtice captive detente fuerint. Quod ſi vero quiſque ſacerdotum contrarium premiſſorum fecerit, tanquam malefactorum hujusmodi participatione excomunicacionis ſentenciam talem incurrere volumus ipſo facto. Cum membra ſine capite nihil agere debeant, omnia ſtatuta per quevis capitula vel collegia Eccleſiarum noſtre Dioeceſis eciam de prelatorum conſenſu, qui eisdem eccleſiis immunitate preſunt, ſuper quibusvis arduis vel ſtatum eccleſiarum tangentibus ordinata, quibus in ipſo actu ad inſtar tutorum auctoritas Epiſcopi non acceſſit, declaramus & decernimus robur, firmitatem non habere jmo talia preſenti noſtro ſtatuto irritamus, & de cetero fieri prohibemus. Preterea ſtatuimus, ut nulli Monachorum ſeu Monia-

nialium apoſtatarum. quarumcunque religionum ab aliquo ſacerdote in civitate vel Dioeceſi ſuſtineantur, unde tales apoſtatas & eos, qui tales ſcienter, recipiunt & defendunt, ac eciam in ſuis eccleſiis ſcienter divina celebrare permittunt, ſentenciam excommunicacionis ipſo facto incurrere volumus, Precipientes diſtricte omnibus Decanis & Camerariis, quatenus hujusmodi apoſtatarum & eciam clericorum peregrinorum, inter quos interdum non ordinati latitant, in ſuis terminis commorantes perquirant, & eadem nobis vicario, vel officiali noſtris fideliter referant, ut ſaluti animarum ſalubriter conſulere valeant. Item cum ſacri canones religioſos quoſcnnque habitus ſeu profeſſionis debitos temere deponentes, & aliter quam ſtatum regularium deceat, incedentes, majoris excomunicacionis ſentenciam declarent fore illaqueatos, unde monemus omnes, & ſingulos Monàchos & moniales, quatenus habitum ſue profeſſionis congruentem deferant, alioquin omnes tales tamquè excommunicatos publice vitari precipimus & mandamus.

Statuimus quod ſinguli Rectores eccleſiarum ſub excomunicacionis pena in eccleſiis ſuis reſidenciam faciant perſonalem, niſi noſtra licencia & tolleracione ſpeciali illos a ſuis eccleſiis ex aliqua racionabili cauſa abeſſe contingat, alioquin contra tales ipſorum rebellione exigente ad graviores penas procedere non omittemus. Item ſtatuimus, quod nullus excommunicatus ſive ſit clericus ſive laicus ad divina quovismodo admittatur, niſi

nisi de canonica absolucione doceat legitimis documentis, & nisi reconcilietur, & penitenciam recipiat a proprio sacerdote, & eodem modo in ecclesia semel interdicta amplius divina non celebrentur, nisi de relaxacione interdicti legitime constiterit. Item statutum esse declaramus, quando tempore interdicti non tantum morientes sed eciam viventes tam sani quam infirmi ad penitenciam seu confessionem faciendam sunt admittendi, illis duntaxat exceptis, qui sciuntur excommunicati, hii enim ad confessionem admitti non debent, nisi in mortis articulo. similiter illi propter quorum culpam, dolum & fraudum lata est sentencia vel qui dederunt causam interdicto, quamdiu illud animo sustinuerint indurato. Eodem modo statutum esse declaramus, quod tempore interdicti baptismus parvulorum, confirmatio in fronte, viaticum seu Eucharista moriencium dari atque ministrari, atque confecto crismate celebracio misse semel in septimana pro conficiendo corpore Christi pro infirmis fieri, & merito contrahi licet non solennizari licite potest clausis januis excommunicatis & interdictis exclusis. Item declaramus statutum fore, quod tempore interdicti misse & alia divina officia clausis januis, excommunicatis, & interdictis exclusis, campanis non pulsatis celebrari debeant sub eisdem penis, quibus cessante interdicto foret celebranda & quater in anno alta voce tempore interdicti generalis cum campanis, januis apertis Divinum officium celebrari potest, dum tamen excommunicati & interdicti sunt exclusi. extunc quoad officii

celeb-

celebracionem juxta morem Romane ecclefie a vefpere ufque ad vefperam dies eft computanda, ita quod completorium poft vefperas diei feftive veniunt ommittenda, que omnia intelligenda funt, ut predictum eft de interdicto generali, cum tota patria vel major ipfius pars fuppofita eft interdicto, fecus vero fi aliqua ecclefia duntaxat fuerit interdicta, tantum enim in dictis feftis, nifi interdictum hujusmodi fublatum celebrari nullatenus debet. Statutum quondam antecefforis noftri bone memorie *Ottonis* Innovantes ftatuimus & inviolabiliter fervari volumus, quod quilibet Decanus, camerarius, Rector, Incuratus five vicarius ecclefiarum noftre Diocefis omnes fentencias & proceffus ac mandata, que a Nobis, vicario noftro feu officiali curie noftre Bas. emanare contigerit, omni fraude, fubterfugio & excufacione penitus femotis fecundum ipforum mandatorum, fentenciarum & proceffuum continenciam & tenorem publice & fideliter exequantur, qui vero fe in premiffis rebellem, contemptorem, remiffum & inobedientem reddiderit, fentenciam excommunicacionis, quam nunc trina previa monicione in ipfum ferimus, incidat ipfo facto, & nihilominus penam duarum librarum monete Bas. nobis vel noftro vicario affignandam patiatur.

Item ftatutum bone memorie quondam Domini *Gerbardi* predeceſforis noftri renovantes declaramus denarios illos, quos quidem facerdotes fecretale confueverint vocare, ad Rectores ecclefiarum, feu vices eorundem gerencium, ficut & alias quascunque oblaciones ad altare factas, nifi

nisi de gracia illos capellanis suis relinquere voluerint, duntaxat spectare debere, non obstante quadam una distinctione, quam quidem autem oblatos & hujusmodi denarios secretales facere conantur, cum omne id, quod in ecclesia offertur, sublacionum nomine comprehendatur. Quia in pluribus locis, ubi fabrica ecclesiarum habundat, defectus librorum & aliorum ornamentorum divino cultui deputatorum reperitur, cum igitur fabrica hujusmodi pro reparacione supradictorum in ipsis ecclesiis sic instituta, sub excommunicacionis pena precipimus omnibus & singulis ecclesiarum Parochialium & aliarum quarumcunque Rectoribus, plebanis incuratis seu vices eorum gerentibus, nec non procuratoribus fabricorum, quatenus in locis illis talis defectus librorum, ad Divinum cultum necessariorum & aliorum ornamentorum existit, ipsis ecclesiis de illis provideant, si saltem facultates ipsius fabrice sufficiant, alioquin postquam pro parte nostri patroni vel Rectoris aut communitatis loci requisiti fuerint, si infra mensem sequent. de hujusmodi defectibus providere non curaverint, ex tunc eo lapso eosdem a perceptione fructuum, nec non administracione fabricarum ipso facto suspendimus, & suspensos esse volumus Mandamus nostris vicario & officiali, ut ex tunc de aliis procuratoribus providere habeant, qui supradictis defectibus provideant, competentem volumus eciam, ut Decani & camerarii singulorum capitulorum super hoc inquriere habeant, & hujusmodi inquisicionem factam Nobis vicario & officialis nostris fidelem referent,

ut hujusmodi defectus possit utiliter provideri. Item statuimus, ut Nullus sacerdotum & clericorum nostre Diocesf. quovismodo sub pena excomunicacionis quascunque res per predam captas emere seu comparare audeat vel presumat, si vero quisque predictorum contrarium fecerit, nisi rem ipsam taliter emptam infra octo dies immediate sequentes, vero Domino, si reperiri valeat, restituerit, vel ejusdem verum valorem duplum ipsius fabrice ecclesie nostre Bas. solvere, irremissibiliter teneatur, & nihilominus sentenciam excomunicacionis ipso facto incurrat. cum non nulli ecclesiarum collegiatarum prelati & canonici anno gracie, qui pro relevacione debitorum in fructibus beneficiorum seu pro anniversario defunctis clericis est concessus, ac eciam statutis capitulorum, quibus cavetur, ut quilibet in canonicum recipiendus, certam qottam peccuniarum in usum ornamentorum ecclesiarum solvere teneatur, dampnabiliter abutantur, ex quo duplex provenit injuria. ecclesie scilicet & persone, unde huic morbo consulere cupientes, statuimus, & sub pena excommunicacionis late sentencie precipimus & mandamns omnibus prelatis & canonicis hujusmodi ecclesiarum collegiatarum, ut fructus ex anno gracie prevenientes, nec non predictarum pecuniarum quottas ex statutis dictarum Ecclesiarum debitas in eos usus licitos & honestos, ad quos primo sunt instituta convertant, alioquin preter sentenciam excommunicacionis, quam propterea, ut premissum est, singulares personas incurrère volumus, capitula ipsorum a divinis suspendimus,

& ecclesias ecclesiastico hoc nostro statuto supponimus interdicto tamdiu, quousque ecclesie taliter lex satis fiat sufficienter. Statuimus insuper, & in virtute sancte obediencie precipimus, & mandamus universis sacerdotibus nostre Diocesis ne in suis ecclesiis matrimonia personarum alienarum quomodolibet in facie ecclesie solennisare presument, nisi persone aliene sufficientes testimoniales a suis incuratis, sub quorum parochia moram traxerunt, deferant literatorie, & sub sigillo hujusmodi Incurati, seu alio noto, se alibi non contraxisse, & alias bonorum fame & opinionis existere, si qui vero contrarium fecerint, procul dubio eosdem digna castigacione emendare non omittemus. Nos SS. Patrum statutis inherentes universis sacerdotibus tam civitatis, quam Dyocesis nostre Bas. subdito juramenti nobis prestiti & sub interminacione divini judicii firmiter inhibemus, ne quisquam alienum parochianum sibi non subjectum presumat excepta necessitatis causa ad confessionem recipere, vel ei quodcunque ecclesiasticum sacramentum, nisi petita desuper & obtenta proprii sacerdotis licencia expressa & speciali ministrare. cum certum sit & indubitatum hujusmodi parochianum per talem sacerdotem absolvi vel ligari minime posse. Item statuimus ac firmiter & districte precipimus, ut in cunctis ecclesiis nostre Diocel. Baptismus, crisma, oleum, Euckaristia, nec non reliquie sanctorum sub fideli custodia & debita clausura clauibus adhibitis in locis debitis & honestis cum summa reverencia conservantur, ne possit ad illa manus temeraria ex-

extendi, ubi eciam honorifice cum luminaribus & ampulis venerentur, Palle quoque altaris vasa corporalia & vestimenta ministrorum munda & nitida teneanttur, cum nimis sit absurdum in sacris sacerdote negligere, que dedecent in prophanis. Insuper statuimus & de cetero prout hactenus consuetum fuit adeo indifferenter altaria in Ecclesiis, capellis vel aliis locis sacratis non erigantur, nisi eisdem de congrua dote & conventibus redditibus compertum fuerint, legitime fore provisum taliter, ut eidem altari de ministro, qui missam in eo legere valeat, possit provideri. Inhibemus omnibus & singulis Rectoribus, Plebanis, Incuratis & aliis quibuscunque sub excomunicacionis pena, ut hujusmodi altaria sine dote & redditibus in suis ecclesiis, quibus presunt, deinceps nullatenus erigi paciantur, nisi de hac nostra vicarii vel officialis nostrorum precesserit licencia specialis, quod hujusmodi altaria erigere volentes literatorie ostendere habeant. Item precipimus omnibus sacerdotibus curam animarum gerentibus, ut subditis suis alibi confitentibus sua peccata, quam proprio sacerdoti sanctissimum Euckaristie sacramentum nullatenus ministrent, nisi ipsis legitime constiterit hujusmodi subditum & parochianum de licencia sui curati aut alterius potestatem habentis alibi ipsum sua peccata fuisse confessum & ad recipiendum hujusmodi salutiferum sacramentum fore dispositum ad quam confessionem sacer[illegible] curati suam plebem in principio quadrage[illegible]e sepius solicitent & moneant, ut ad confession[illegible] faciendam veniant se ad suscipiendum corpus [illegible]

minicum in festo pasce reverenter disponentes & quia plures ex sacerdotibus nostre Dioc. propter ipsorum simplicitatem sepe dubitant, qui sint aut vocentur casus speciales, & qui Episcopales, ut igitur tales informentur, unde possint magis salubriter subditorum manus animabus consulere, Illos presenti nostro statuto decrevimus distinguendos: unde casus speciales sunt quinque numero videlicet cum quis manum violentam mittit in clericum vel quemcunque Religiosum seu eciam monialem. Item incendia Ecclesiarum vel locorum Religiosorum. Item symonia in ordine perpetrata. Item falsacio litterarum apostolicarum. Item celebratio Divinorum in excommunicacione. Episcopales vero sunt homicidium, sacrilegum, Incendium aliorum locorum non sacrorum, pactum contra naturam, concubinatus personarum Religiosarum in sacris ordinibus constitutarum, Incestus videlicet cum consanguinea vel affine, aut cum est que votum castitatis emissit, Injectiones manuum in parentes, vel eciam in clericos vel personas ecclesiasticas leviter tamen facte, oppressiones parvulorum ex negligencia parentum, veneficium vel dacio veneni, perjurium fide fractio, votorum transgressio, simonia in beneficio, vel alias quascunque in ordine adulterium, heresis, lapostasia, plasphemia, defloratio virginis, maleficum ejus qui malefecit conjuges non possint coire, procuratio sterilitatis mulieris faciens seu procurans aborsum, falsacio sigilli littere vel instrumenti, non principalis vel monete, in hiis enim casibus, & punctis confitentes ad Papam

pam vel Episcopum sunt remittendi exceptis mortis articulo. Cum sepe vinculo excomunicacionis astricti fiducia finalis penitencie in extremis tempore sanitatis claves ecclesie plurimi vili pendant, statuimus & ordinamus, ut tales excomunicati suam absolucionem usque ad extremum vite ipsorum differentes ad beneficium reconciliacionis in lecto egritudinis constituti non admittantur, nisi canonicam prestiterint caucionem non solum juratoriam, sed eciam fide jussoriam, quia sive moriantur sive convalescant, per se vel per alium per suos satis faciant de commissis, vel saltim juri pereant, si pro contumacia fuerint irretiti. Item statuimus & ordinamus ac in virtute sancte obediencie & sub excomunicacionis pena arcius precipiendo mandamus, ut Rectores ecclesiarum plebani vel incurati, questores elemosinarum quarumcunque pro elemosina colligenda in suis ecclesiis non admittant, nisi tales in honesto decenti & convenienti habitu incedant, & qui non sint tabernarii, lusores seu apostate, falsum habitum religionis deferentes, alias enim tales nullatenus admittere teneantur, & in canone quo eosdem admisserint huic presenti nostro statuto contraveniendo quociens id fuerit factum ultra sentenciam excommunicacionis, quam incurrunt, eos in una libra denariorum monete Bas. decernimus mulctandos fore. Adicimus eciam, quodsi hujusmodi questores vel in sacris ordinibus constituti non fuerint, quod eo tunc sacerdotes & Incurati tales ad petendam elemosinam sub penis predictis ad cancellum ecclesie vel ambonem pro predicacio-

ne facienda, nullatenus admittere teneantur, ymo nec paciantur eosdem in ſuis eccleſiis quovis modo & extra ambonem ſeu cancellum predicare, ſed ipſi ſacerdotes & Incurati litteris ipſorum viſis & intellectis populum juxta continenciam adhortentur, ut ſuas elemoſinas tali queſtori elargiri dignentur. Si vero clerici & fuerint in ſacris conſtituti, eos aliter non admittant, quam ſupra in quodam alio noſtro ſtatuto deſuper clare continetur, alioquin eosdem Rectores, Incuratos & plebanos propter predictorum transgreſſiones caſtigare & condigne emendare nullatenus poſtponentes.

LXXXIX.

SEQUUNTUR STATUTA VICARIJ ET SIGILLIFERI.

Joannes de *Fleckenſtein* Dei & apoſtolice ſedis gracia Epiſcopus Bas. Quia eccleſiis parochialibus noſtre Dioeces. uſque modo plerumque per perſonas minus idoneas exſtitit proviſum, unde ſaluti animarum ſubditorum, quorum ſanguis de manu requiritur prelatorum, eccleſiarumque indempnitati non conſulitur, jmo cotidie ſcandala populi, cleri opprobria oriuntur aut pullulantur; Ne igitur hujusmodi contingant, indempnitatibus eccleſiarum & ſaluti ſubjectorum perpenſius provideatur, ac dampnis & ſcandalis innumeris exinde

exinde in populo Dei provenientibus salubrius accurratur, legitimas sanxiones in subscriptis inmitande ordinamus & statuimus, Nostroque vicario & sigillifero in virtute sancte obediencie & juramenti nobis prestiti precipimus & mandamus, ut nostras hujusmodi constituciones & ordinaciones subscriptas prioribus statutis curie nostre Bas. adiciendis observet & observare studeat.

De Dispositione investiendorum.

Primo volumus & ordinamus, ut nullus deinceps cujuscunque dignitatis, gradus, condicionis vel eminencie fuerit, ac curam parochialis ecclesie instituatur seu investietur per nostrum vicarium & sigilliferum, nisi talis vicesimum quintum annum eciam per unam diem duntaxat ut attingat; ydoneusque sciencia, moribus & vite honestatis inveniatur per publicum examen, in quo examinancium consciencias volumus onerare. *forma examinis investiendorum ad curam.* Et ut examinanti formam tradamus examinandi, taliter procedat, ut primo examinandus in lectura Evangeliorum, Epistolarum, Psalterii & collectarum, vel aliorum textuum sacre scripture audiat, deinde si bene legat exposicionem aut vulgarisacionem earundem requirat, de post vero formam Baptismi & absolucionis & eciam juris ministracionem, qualiter sacra illa ministrat, & sic deinceps de preceptis decalogi, sacramentis ecclesie, & aliis curam pastoralem concernentibus, industria examinantis diligencius perquirat. de cantu & compu-

to ac pronunciacione feſtorum, expoſicione oracionis dominice, ſymboli apoſtolorum vulgari querere non omittatur, alia vero ſuppleat diſcretio examinantis. *Quod nullus inveſtiatur niſi prius per illum oſtenſis formatis ſuis.* Item volumus, ſtatuimus & ordinamus eciam, ut idem vicarius ſeu ſigillifer noſter nullum inveſtiat, ſeu ad curam animarum inſtituat, aut eciam ad aliud beneficium quodcunque, niſi pro more ante omnia talis de ſuis literis formatis quando quidem rite & legitime ſit promotus, Nos aut ipſum informet. *De Iuramento Inveſtiendorum ad curam.* Item volumus & ordinamus, quod ad curam animarum inveſtiendus in manus noſtras aut vicarii noſtri corporale juramentum preſtat ad ſancta Dei Evangelia, de nobis, noſtris ac ſucceſſoribus vicariis ac officialibus noſtris obediendo & mandatis noſtris, & eorundem noſtrorum officialium ſtando & parendo. Quando quidem reſidenciam perſonalem apud gregem ſibi comiſſum, & in eccleſia parochiali, ad quam inveſtitus eſt, faciat, niſi forſan de noſtra aut vicarii noſtri generalis licencia expreſſa aut juratorum ſuperiorum noſtrorum auctoritate, diſpenſacione ad tempus adeſſe ex tam racionabili diſpoſuit, & quod infra anni ſpacium quia ſue inveſtiture ſeu poſeſſione adepte computando, ſi ſacerdos non ſit, ad ſacerdotium ceſſante impedimento legitimo & rationabili ſe faciat promoveri, niſi de noſtra aut ſuperioris noſtri licencia expreſſa ſtudii cauſa ad univerſitatem aliquam talis ſe vellet transferre, quo caſu nihi-

nihilominus infra annum ad ſubdiaconatus ordinem promoveatur, alias anno elapſo eccleſia ipſa ſit privatus.

Item de juramento per repreſentatos vel preſentandos a laicis Patronis ad aliquam curam.

Item quia experientia didicimus annis tranſactis eccleſiis parochialibus vacantibus illorum Patronos Rectores ad illas ſub certis conditionibus, pactis & illicitis convencionibus preſentaſſe, modicam portionem reddituum & fructuum eccleſie hujusmodi, de qua ſtatum competentem & jura Epiſcopalia nullatenus aut difficulter expedire valebant, easdem aſſignando parte majore fructuum illorum ſibi reſervata, unde eccleſiis talibus hactenus de perſonis minus idoneis Ignaris & ydeotis exſtitit proviſum & incommoda varia tam ſpiritualibus quam temporalibus ipſis eccleſiis exinde ſurrexiſſe quibus opertim remedio ſalubriter obviare cupientes, volumus, ſtatuimus, ordinamus, ut de cetero ullus ad Rectoriam cujuscunque eccleſie per ipſorum laicum aut eciam eccleſiaſticum preſentatus per noſtrum vicarium & ſigilliferum inſtituatur ſeu inveſtietur, niſi primo juramento ad ſancta Dei Evangelia per ipſum preſtito firmaverit hujusmodi preſentacionem abſque omni pactione, conventione, permiſſione ac pollicitacione tractatuque de retinenda tercia quotta ſe diminucione illorum factam fuiſſe per ſe vel per alium directe vel indirecte quovis queſito colore, & quidem eciam poſt reſtitucionem factam taliter cum patrono non paciscatur, per ſe vel alium directe vel indirecte omni dolo ceſſante, alias

enim nequaquam instituatur, & per hujusmodi Symonie Illicito commercio canonicam nihilominus non evitabit ultionem.

Quod presentandis ad ecclesias incorperatas deputatur congrua porcio.

Item volumus insuper ut presentanti ad ecclesias, quorum Rectorie incorporate existunt, per nostrum vicarium & sigilliferum non instituatur nisi constet congruam & reddituum & fructuum quantitatem competenter ipsis fore assignatam, unde jura & onera supra scripta subire & hospitalitatem debitam servare possunt, ad quam quidem assignacionem faciendam ipse vicarius noster hujusmodi presentati terminum XV. dierum constituat, infra quem si presentandis ipsi presentacio tali ut permittitur, providere neglexerit, competenter, ne factum presentancium ipso presentato noceat, & Christi fideles diucius divinorum communione priventur, ipse vicarius & sigillifer tali presentato de congrua & competenti hujusmodi porcione de fructibus ecclesie, ad quam vicarius seu Incuratus instituatur, provideat.

Quod Nullus Religiosus admittatur ad curam animarum nisi ex speciali privilegio.

Item quia non nulli ordinum diversorum Religiosi obediencie jugo subjecto per diversas mundi partes in clerici opprobrium discurrencium ad regendas ecclesias parochiales plerumque si in genere annis transactis presumpserunt, ne igitur talia deinceps contingant, statuimus, volumus

&

& ordinamus, ut vicarius & ſigillifer noſter nullum Religioſum, cuiuscunque ordinis fuerit, niſi ſpeciali privilegio ordini ſuo conceſſo munitus exiſtat, de quo eciam vicarium noſtrum informet ad curam parochialem eccleſie aut eciam beneficium aliud quodcunque quantumcunque exile, in redditibus inſtituatur, ſeu illi commendetur, niſi fortaſſis propter carenciam clericorum ſecularium in illis inſtituendorum neceſſitas hujusmodi religioſum cogat aſſumi, ne Chriſti fideles diu careant miniſteriis divinis, quo caſu ad breve tempus, & quouſque de clerico ſeculari provideri poſſit, eciam vacans illi comitti poterit &c. proviſo tamen quod non ſit apoſtata, quandoque rite & legitime ordinatus ſit, & licenciam ſui habeat Rectoris vel ſuperioris, honeſteque converſacionis & vite, & alias habilis & ydoneus exiſtat, de quibus ante omnia vicarium noſtrum prefatum legitime volumus informari.

De juramento preſtando per inveſtiendos ſuper non alienando bonis & Rebus beneficii ſui.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod ſinguli ad beneficia quecunque noſtre Dioeceſes inſtituendi in manus noſtri vicarii & ſigilliferi jurent, & fide data permittant domos, agros, allodia & alia ad proprietatem beneficiorum hujusmodi ſpectancia indecenti & honeſta cultura, ſtructura & refectione tenere, eaque proprio poſſe edificare, reparare & in culturam reducere, & quod infra anni ſpa-

ſpacium a tempore talis modi inſtitucionis ſeu inveſtiture numerandum omnes & ſingulos redditus, fructus, obventiones, bona mobilia & immobilia quecunque talium beneficiorum & ad ea pertinencia in ſcriptis omni fraude ſervata ipſi vicario & ſigillifero tradent noſtro & aſſignent, que eciam per ipſum vicarium noſtrum regenerari mandamus. Item volumus & mandamus, quod nullus ad beneficium quodcunque & qualecunque inſtituatur, niſi juret in manus noſtras aut vicarii noſtri, ſe bona mobilia, precioſa & immobilia, agros & allodias areas & ſimilia ad beneficium tale ſpectancia & pertinencia nequaquam vendere, diſtrahere, aut quovis modo alienare velle, eciam in utilitatem beneficii, niſi ad hoc juxta legitimas ſanxiones noſtras aut vicarii noſtri concurrat auctoritas & conſenſus literatorie habitus. Item ſtatuimus eciam, ut vicarius & ſigillifer noſter nullum ad beneficium quodcunque inſtituat aut inveſtiat, de quo juxta conſuetudinem hactenus obſervatam primi fructus ſeu biennia nobis cedere conſueverunt, neque tali litteras inveſtituere tradat, niſi talis inveſtiendus cum collectoribus bijenniorum prius concordaverit, ſi ſaltem concordare voluerit, & fructus tales ſibi retinere &c. Deo gratias. Et ſic eſt finis LVII. die XXIII Octobris.

XC.

XC.

ALLOCUTIO

JACOBI CHRISTOPHORI EPISCOPI *) PRO INCHOANDO SYNODO BAS. IN ECCLESIA *DELEMONTI* CONGREGATA. 13 Apr. 1581.

Venerandi Patres ac fratres in Christo charissimi posteaquam sum per Dei gratiam, quamvis indignus, ad Ecclesiae hujus nostrae gubernacula vocatus, hoc mihi unum & solum praecipue curae mihi esse debuit, ut non modo quaererem, quod perierat, & errantibus ovibus implerem Ecclesiae nostrae caulas, verum etiam ut succisa illa putri amaritudinis radice, quae nobis, aliis causis in terra praetermissis, multae sunt enim, tot spinas & tribulos produxit nimirum vita cleri nostri, ad rationem meliorem revocata, cum Deo tandem rediremus in gratiam, eique a peccatis aversi, & ad Christianum vivendi modum conversi, dicaremus nos totos, muneréque nostro sedulo & graviter fungeremur.

Satis alioqui diu cessatum est a nobis non sine maximo nostro & aliorum malo tempus est jam nos de somno surgere, opera tenebrarum abiicere & armis lucis indui. Quod ut faceremus commodius, majorem & antecessorum nostrorum piae memoriae laudabili exemplo universum clerum Dioecesis nostrae, legibus quibusdam vinciendum

dum

*) E nobilibus *Blarer* a *Wartensee.*

dum, & ei juxta SS. Concilium Tridentinum, adeoque Dioecesis hujus Basiliensis & horum temporum evidentem necessitatem, quoad ejus fieri poterat rectam rationem vivendi, populum in Catholica fide docendi, & sacramentorum ministrandorum modum, quem sequeretur, praescribendum esse putavimus: idque decreto synodi, quam hoc die & loco, ut lex convocationis litteris patet, in Dei nomine celebrandam indiximus.

In primis authoritate S. D. N. *Gregorii* Pontif. Max. qui pro suo preaclaro & nunquam satis laudato erga rempublicam christianam studio juvandaeque Christi sponsae cura singulari, ut rem primo quoque tempore haberem, per suos Nuncios mandaverat, cui ego pro eo ne debui pari sane non invitus.

Jam vero hortor vos omnes, quandoquidem videtis ipsi, quanta nos mala circumstent, quam foedis & horrendis Haeresibus vexetur Ecclesia, quanti sint motus per sathanae ministros in relligione & republica christiana excitati, ut jam tandem male vivendi finem faciamus, pietatem colamus universi, vitam nostram ad exemplum filiorum Dei instituamus, officium suum quisque impleat, populo ad honestatem duces simus, soli Deo adhaereamus, eumque nostris castis precibus & sacrificiis, aegre huic squalenti patriae nostrae, placatum reddere studeamus; quo ira ejus a nobis aversa, nos ad se convertat, motus istos tranquillet, Ecclesiae quietem condat, haeresibus finem

finem imponat, & tandem laborum conciliorumque nostrorum felicem det exitum.

Quae omnia a Divina ipsius Majestate, certo ut consequi mereamur, omnes & singuli aliis omnibus affectibus dictis & factis exclusis vera mentis suae ad Deum conversione, & praesenti synodo devoti interesse, & Deum patrem omnipotentem per Christi filii sui Domini & salvatoris nostri, omniumque sanctorum ejus merita, suis assiduis precibus orare velint.

Volumus autem, ut ad hujus nostre synodi constitutiones clerici nostri, non solum dum publicantur, diligenter advertant sed & inposterum, vitam suam, studia docendi populi, sacramentorumque administrandorum rationem instituant, nec ab eorum praescripto unquam discedant. At vero id sibi de me persuadeant omnes & me per hujus synodi celebrationem neminem gravare vel offendere, quin potius singulos paterno subinde quoque amore prosequi, vestramque omnium salutem pro virili promovere velle & insuper in hac vita nihil gratius mihi obtingere posse, quam si promte & alacriter ea que statuuntur, sequantur omnes, adeoque vita sua & moribus, recti potius, & honesti amore, quam ullo poenarum metu exprimere studeant. bona spe freti, si taliter divinae suae voluntati per gratiam ejus conformemur singuli, Dominum Deum pro suo erga Ecclesiam suam favore maximo, & eam, ex his tantis malis, quibus ob peccata nostra hoc tempus, ut

ut si unquam ante hac involvitur longe gravissime, cito liberaturum & nostram ipsorum his in terris salutem ex inimicis nostris & de manu omnium, qui oderunt nos & post hanc vitam, sempiternam in coelis certo nobis daturum esse.

XCI.

EJUSDEM ALLOCUTIO IN FINE SYNODI.

Cum ex SS. Tridentini concilii praescripto & S. D. N. jussu praesentem synodum, ut intellexistis, indixerim, & per Dei gratiam absolverimus. spem concepi bonam hunc nostrum laborem, tum nobis ipsis, tum Christi fidelibus nostrae curae comissis, non inutilem fore. Quandoquidem Xpii sacerdotes propriae & ovium sibi creditarum salutis amantes, si in aliquo hactenus peccarunt, per hoc statuta officii sui admoneri, sin vero viam mandatorum Dei cucurrere in lege Domini confirmari & multiplices fructus proferre possunt. de aliis, qui incorrigibiles & durae sunt cervicis, nec quitquam quod non ipsorum desideriis, blandiatur, gratum habent atque probant, nihil aliud dicere, quam eos ficui Hierosolymitane comparare possum. Quae foliis quidem virentibus patulisque ramis, fructu tamen carens ornata, ficum praetereunti & esurienti Domino dare non poterat, juste admodum per Domini maledictionem igne consumenda exaruit. Sic etiam omnibus christi fidelibus atque sacerdotibus, qui tantummodo nomen christiani

ſtiani hominis & ſacerdotis praeſeferunt, nec ullos pietatis fructus edunt, continget, horrendamque illam ſententiam, vos maledicti ite intignem aeternum etc. audient. ubi nulla, prout homines, quoniam corripiuntur, varia praetendere ſolent, excuſatio valebit, nec ulla ſpes apparebit elabendi. Tormenta illa, quae explicari, & in cor hominis deſcendere non poſſunt, o quam intollerabilia erunt fratres chariſſimi ſummi illius boni peroptimi Maximi aſpectu privari, ſupplicium erit, quod omnia ſenſibilia tormentorum genera ſuperabit, hoc tamen omnia, aeterna bona & ſuplicia pauci homines, & quod valde mirandum atque deplorandum inter ſacerdotes etiam multi prout animarum ſalus requirit, non conſiderant, & rem tantam quaſi nullius momenti curare videntur: ſi enim noviſſima ante oculos haberent, nequaquam Theſaurizarent ſibi iram Dei, atque divina non abuterentur longanimitate, ſed ad ſalutarem potius adducerentur poenitentiam.

Cor in avaritiam, quod eſt Idolorum ſervitus non inclinarent, Ebrietate & crapula eorum corda non gravarentur, concubinas nec occulte nec manifeſte haberent impuras. Qui enim talia agunt, & facientibus conſentiunt, regnum Dei non poſſidebunt.

Neque aurum Neque argentum, vel alia res praetioſa, fratres chariſſimi! Sed animarum & quidem ſubditorum, omniumque noſtrorum ſalus periclitatur. Quos verbo & exemplo paſcere &

in caulas aeternae vitae adducere debemus, noſtris malis moribus ſcandalizamus, & in gehennam tum nos, tum ipſos praecipitamus.

Suum quisque onus, qui aliorum curam non ſuſtinuit portabit. Sacerdotes vero pro ſe, & pro ovibus ſibi commiſſis rationem inibunt. Atqui ego veſter conſervus indignus Epiſcopus, non ſolum pro me & ovibus meis, verum etiam pro vobis tanquam paſtoribus & collaboratoribus chariſſimis exactiſſimam teneor reddere rationem. In iis enim, qui preſunt, duriſſimum fiet judicium.

Quoniam igitur moribus fortaſſis praelecta ſtatuta non conveniunt, vel minus grata ſunt, ſciant ea non ipſorum odio vel ipſis incommodandi libidine condita; ſed magis paterna charitate eos a vitiis avocare & omnium tum temporalem tum ſpiritualem ſalutem per haec promovere voluiſſe & paratum eſſe.

Qui medicum, quod phrenetici ſolent, perſequitur, pro deſperato habetur, Qui mihi quod animarum morbos depellere cupiam, ſuccenſet, certo non minus pro Deſperato habendus eſt. Ego pro officii mei ratione nihil intermittam, quo quantum in me eſt ſalventur omnes, & peccant nulli, nec ſciens & volens, aliquorum peccatis connivebo, ne aliena, cum ſatis propria peccata me premant.

Id circo vos omnes rogatos volo per viſcera miſerationis Ieſu chriſti, ut quae veſtram ſalutem im-

impediunt, abijcietis ſedulo. praeſentem concubinam amovete fratres chariſſimi. caetera etiam ultra deinde per Dei gratiam poteritis effugere facillime. Non eſt neceſſe, ut concubinatus incommoda recenſeam omnia qui hoc tam abominando laborant vitio, experiuntur eadem quotidie.

Apud Turcas vel alios infideles captivi chriſtiani duram quidem agunt ſevitutem, ab jectiſſima vero meretricum mancipia longe duriorum ſuſtinent Tyrannidem, ac quamvis a concubinis res domeſtica & alia ſcilicet curentur, ſe beatos eſſe, & vitam ducere ſuavem. Sibi male perſuadeant miſeri: multo feliciores ſunt illi, quod corporis morte barbarorum ſervitiam evadere; ſi vero, dum vivunt rapaci ſcorto & triobalari ſervire, cum mortem obierint, niſi prius reſipiſcant, aeternos gehennae curiatus ſubire cogentur. Nullaque ratione, niſi ſpatſmographae doctrinae pareant ſaluberrimae, evadent, aut meliora ſperare debent Apprehendere inquam debent diſciplinam: ne quoniam iraſcatur Dominus, & in brevi exardeſcat ira ejus, pereantque de via juſta.

Quiscunque ergo, fratres chariſſimi! hoc modo detinentur, inprimis e ſinu ſerpentem, id eſt, concubinam e domo eijcere ſtudeant. Ac ſobrie demum juſte & pie vivant in hoc ſaeculo. his ſtatutis & aliis eccleſiae ſacro ſanctis non gravabuntur canonibus. Quin potius eos tamquam regulam bene vivendi certiſſimam amabunt, utque ſequentur libentiſſime, devotis ad Deum precibus

ac

ac lectione facrae fcripturae vacabunt fine intermiffione Magnam brevi, credite, fentient utilitatem, & quam ulla ratione ipfis univerfoque clero incomodare, fed magis omnium faluti confulere voluerim, & ex animo cupiam, meridiana luce clarius apparebit.

Qua propter fic veftram inftituite vitam, & veftrae curae comiffas pafcite oves, ut cum eis in aeternae beatitudinis pafcua ingredi mereamini. Quod nobis omnibus animitus concedere dignetur, qui eft in fecula benedictus.

Copias has ftatutorum fynodalium Ecclefiae Bafileenfis originalibus fuis quae in Archivis Rmi ac Celmi Epifcopi Bafileenfis S. R. J. Principis affervantur, conformes effe teftatur in arce *Bruntrutana* die fexta menfis februarij anno 1760.

Leonard Leopold Maldoner
camerae Confiliarius & Archivarius.

L.



Cöntgen sc. Mog

ad L.


IO.PHILIPP.D.G.S.S.MOG.ARCHIEP.S.R.I.PER GERM.ARCHICANCEL.PRINC.EL.EP.SC.HERB.ET WORM.FRANC.OR.DUX.

ad L.


S. IO. PHILIP. S. S. MOG. ARCHIEP. S. R. I. P. GER. ARCHICANC. PRINC. ELECT. EPI. HERB. ET. FRA. OR. DUC.

LI.



Cönlgen Sc M.

ad. LI.


LOTHAR.FRID.D.G.S.S.MOG.ARCHIEP.S.R.I.PER.GERM.ARCHICANC.PR.EL.EP.WORM.ET.SPIR.P.V.ET.Q.

LII



Cöntgen Sc. M.

LIII.



Cöntgen Sc. M.



CAROLUS. HENRICUS. ARCHIEP. SOC. S.R.I. PER. GERM. ARCHICANC. PR. EL. EP. WOR.

LIV.



Güntgen Sc. M.

ad. LIV.


ANSELMVS.FRANCISCVS.D.G.S.SED.MOGVNT.ARCHIEPISCOP.S.R.I.PER.GERM.ARCHICAN.PRINC.ELECT.

ad. LII



ad XLVII.

